A 34 10 23

Edwardi Simsonî

MOSAICA:

Sive

CHRONICI

Historiam Catholicam

complectentis

PARS PRIMA.

In qua res antiquissimæ ab Orbe condito ad Mosis obitum chronologicè digestæ continentur.

Huic Primæ Parti accessit PARASCEVE *ad Chronicon Catholicum.*

CANTABRIGIÆ,
Ex Academiæ celeberrimæ typographeo.
Anno MDCXXXVI.

56...966,7

CAMBRIDGE UNIVERSITY LIBRARY

REVERENDISSIMO
IN CHRISTO PATRI AC
DOMINO,
D. GVILIELMO
CANTUARIENSI
ARCHIEPISCOPO,
TOTIUS ANGLIÆ PRI-
MATI ET METRO-
POLITANO, &c.
DIOECESANO SUO AC
PATRONO EXOPTA-
TISSIMO,

EDWARDUS SIMSON
HASCE PRIMITIAS
HUMILITER OFFERT
DEDICATQUE.

REVERENDISSIMO
IN CHRISTO PATRI AC
DOMINO,

D GVILIELMO
CANTUARIENSI
ARCHIEPISCOPO
TOTIUS ANGLIÆ PRI-
MATI ET METRO-
POLITANO, &c.

DIOECESANO SUO AC
PATRONO EXOPTA-
TISSIMO,

EDWARDUS SIMSON
HASCE PRIMITIAS
HUMILITER OFFERT
DEDICATQUE.

Lectori, S.

CUm ad accuratam Historiæ Biblicæ cognitionem non mediocre subsidium ab exoticis Historiographis necessariò petendum esse animadvertissem, & nodorum, quì in Chronologia occurrebant, solutionem sollicitè quærerem; tandem partim difficultate rei commotus, partim Chronologorum dissensiones & rixas pertæsus, ante annos plus minus viginti Seriem Temporum atque historiarum cœpi egomet mihi contexere, & συγχρονισμὸς diligenter adnotare. Postea, cùm errorum caliginem feliciter dissipari, ac difficultates (saltem plerasque) pertinaci studio superari posse confiderem, Veritatis amore Opus arduum aggressus, Chronicon scribere institui, quod Historiam καθολικὴν sive universalem complecteretur ab Exordio Mundi ad Christi D. N. Nativitatem. Illud opus jam adfectum, &, verè ut dicam, penè confectum, perpetuis damnare tenebris cogitabam, quòd totum simul in lucem edi non posse videretur, sive mole suâ retardatum, sive quòd eruditi hujus Seculi judicium reformidaret. Sed mutato nuper consilio,

consilio, nunc statuo in aliquot Partes seu Membra discerpere; eo quidem animo, ut, ubi Partes favente Lucinâ seorsim fuerint editæ, denuò posthac in unum Chronici corpus integrum coalescant. Primæ autem Parti, nè nimis solitaria prodiret, comitem adjunxi Parascenen, hoc est, introductoriam quandam ad ipsum Chronicon καθολικὸν Præparationem. His, Lector benevole, interim dum reliqua parantur, fruere, & vale.

MOSAICA,
Sive
Chronici Catholici
Pars prima.

SERIES CREATIONIS.

Arietis	Aprilis	Feria	
0	18	I	*Creatur Cælum (hoc est, Orbes cæleſtes, luce, motu, ſyderibus vacui) Terra aquis immerſa, & ipſa Lux.*
0	19	II	*Creatur Firmamentum ſive Expanſum: & ſeparantur aquæ ab aquis, mare ab aridaterra.*
0	20	III	*Creantur vegetabilia, arbores, frutices, herbæ.*
	Meſori		
1	1	IIII	*Creantur Sol, Luna, Sydera.*
2	2	V	*Creantur animalia natantia, volatilia, reptilia.*
3	3	VI	*Creantur animalia gradientia, & coronidis inſtar HOMO Adam.*

ANNUS MUNDI I.

ADAM paulò poſt creationem deductus eſt in Paradiſum, ſive hortum Edenis: ibi Eva creatur ex coſta Adami; ídque eodem ſexto die, quo Adam factus eſt. Præceptum non comedendi ex arbore Boni & Mali, utrique, id eſt, Adamo & Evæ ſimul datum eſſe, colligi poteſt ex verbis Creatoris, *Ecce dedi vobis omnem herbam,*

bam, &c. ut sint vobis in escam. Hæc enim verba utrique dixit Deus, eo ipso tempore, ut videtur, quo præceptum illud dedit, *Ex omni ligno paradisi comedes: de ligno autem scientiæ Boni & Mali non comedas.* Sed & ipsa mulier, Gen. 3. ait, Deum in commune sibi ambobus interdixisse esu illius arboris. Augustinus tamen illud præceptum primò datum Adamo, postea verò per ipsum Adamum idem mandatum Evæ denunciatum fuisse arbitratur. Et series quidem narrationis Mosaicæ indicat, præceptum illud Adamo, ante creatam mulierem, datum fuisse. Cùm autem Eva eodem præcepto fuerit obstricta, ut ipsa confitetur, necesse est ut illud impositum ac denunciatum ipsi fuerit, saltem per Adamum.

EVA, adhuc virgo, fructum edit vetitum. Et multi quidem opinati sunt, Hominem eodem die, quo creatus est, cecidisse, & paradiso fuisse ejectum: unde illud Græcorum, ἡ ἡμέρα ἐπλάσθη, καὶ ἐξεπλάσθη. Sed non est verisimile, tam multa & varia, quæ inter creationem Adami & ejectionem ejus narrantur facta, in dimidium ferè unius diei coarctari. Nam ubi introductus est Adam in paradisum, ducta sunt ad eum animalia; quorum singulis, consideratâ cujusque eorum naturâ, congruentia imposita sunt ab eo nomina: Cúmque in eis nullum Adamo reperiretur idoneum ad societatem vitæ prolísque generationem adjutorium, ex ipsius Adami altissimo somno sopiti latere formata est mulier. Deinde nudi versabantur ambo in paradiso, sine ullo aut nuditatis suæ pudore, aut externi incommodi vel molestiæ perpessione. Postea consecutus est sermo inter Serpentem & Evam ultro citróque habitus, scilicet (ut credibile est) multò longior, quàm à Mose commemoretur. Eva porrò Serpentis decepta promissis, ad Arborem vetitam advivit, ejúsque curiosè spectatâ & consideratâ pulchritudine, decerpsit fructum, comêdit, perrexit ad virum, & suis blanditiis eum pellexit ad comedendum. Quo facto, cùm eos protinus suæ nuditatis puderet, ad eam tegendam fecêre sibi subligacula: auditâque Dei ad eos venientis voce, sese in medium paradisi locum densissimis opacatum arboribus abdiderunt: unde jussu Dei egressi, uterq; separatim ab eo interrogati, increpiti, puniti, tandem ejecti sunt è paradiso. Plus uno die igitur fuisse primos homines in paradiso, credibile est. Sed quanto tempore ibi commorati sint, præcisè ac definitè non potest constitui. Conjectant eruditi Theologi, octa-

vo

vo die poſtquam creati ſunt, qui dies feria ſexta hebdomadis fuit, ejectos eſſe paradiſo. Nam ſpatium octo dierum ſufficiens fuit experiendæ aliquantulum ejus ſtatûs felicitati: & convenientiam atque conſonantiam habet cum eo, quod circa ſecundum Adamum, id eſt, Chriſtum Dominum, evênit; quippe qui feriâ ſextâ eſt in cruce mortuus. Hoc ſenſu verum fuerit, quod à Patribus eſt traditum, eodem die Adamum eſſe creatum, & peccâſſe, ac paradiſo pulſum eſſe: eodem inquam die, non numero, ſed eâdem feriâ hebdomadis.

Chriſtus, Semen mulieris, promittitur. Deus Adamo & uxori ejus fecit tunicas pelliceas, veſtes ſcilicet ex pellibus animalium. Uſum pellicearum veſtium fuiſſe antiquiſsimum, ſcripſit Plato in Protagora. Ait enim vetuſtiſſimos mortalium interfeciſſe animalia, non tantùm ut eorum carnibus veſcerentur, ſed etiam ut pellibus eorum tegerentur. Eſum verò carnium ante Diluvium hominibus piis non adeò uſitatum fuiſſe, multorum Theologorum eſt ſententia. Conſule Pererium in Gen. 9.

ANNUS MUNDI & ADAMI CXXIX.

CAin fuiſſe primogenitum Adami, facilè colligas ex capite 4 Geneſeos. Quoto autem patris anno natus ſit Cain, aut frater ejus Abel, ſacra Scriptura non indicat. Cain agriculturæ ſe dedit, ab ipſo Adamo inventæ, & de terræ fructibus oblationes Deo offert. Abel verò, pecorum cuſtos, offert de primogenitis gregis ſui, & de adipibus eorum. Promiſſio de Semine mulieris contrituro caput Serpentis, Abeli & fratri ejus per parentes innotuit. Rupertus non dubitat quin Abel prophetiæ quoque ſpiritum acceperit, ut illud Semen promiſſum ſciret non tantùm fore ſemen mulieris, ſed & Filium Dei, qui verus Agnus Dei per ſuam innocentiam, Serpentis conculcaret malitiam, & per ſuum ſanguinem, flammeum gladium reſtingueret. Hac igitur fide Abel obtulit Deo ſacrificium præſtantius, quàm Cain. Si quæratur, unde Cain & Abel Deo ſacrificandum eſſe didicerint; Reſpondet Pererius, Didicêre profectò vel ex patre Adamo, qui id à Deo doctus, itidem filios ſuos docuerat: vel etiam nullo docente potuit id Abel naturali ratione cognitum habere, & tacito quodam natu-

ræ instinctu & impulsu ad id faciendum adduci. Quemadmodum enim naturalis ratio docet unum esse Deum omnium rerum Conditorem ac Dominum: ità docet ac præcipit, hunc Deum esse ab homine omni cultu tam interiori quàm exteriori colendum atque venerandum. De Sacrificio, quod soli Deo, etiam secundum Legem naturalem, à cunctis hominibus fieri debet, vide quæ disputat Thomas Aquinas in secunda secundæ, quæst. 58. Sanguinem Christi pro peccatis humani generis effundendum, in Abelis sacrificio præfiguratum plerique existimant: cui opinioni favere videntur B. Joannis verba, Apoc. 13.8. ubi Christus dici putatur *Agnus occisus ab origine mundi*. Atqui in illis verbis, Ὧν οὐ γέγραπται τὰ ὀνόματα ἐν τῇ βίβλῳ τῆς ζωῆς τοῦ ἀρνίου ἐσφαγμένου, ἀπὸ καταβολῆς κόσμου, trajectionem esse observavit Junius: hæc enim verba, ἀπὸ καταβολῆς κόσμου, cum verbo γέγραπται cohærere; ut sit sensus, *Quorum nomina non sint à jactis mundi fundamentis scripta in libro vitæ Agni illius mactati.* Conferendus est hic locus cum cap. 17. 8. Franciscus Ribera negat verè dici posse, ab origine mundi Christum occisum esse, etiamsi mors ejus ab origine mundi figuris significata fuerit. Virtus quidem Dominicæ Passionis ad omnia secula extenditur: ipse tamen non passus est, neque eum oportuit pati ἀπὸ καταβολῆς κόσμου, ut docet Apostolus Hebr. 9.26.

Patriarchas etiam ante Legem datam ζωοθυτοῦντας ad mortem Redemptoris respectum aliquem habuisse veteres Theologi fatentur. Etenim verisimile est, Adamum, postquam se peccando mortis pœnam commeruisse, & Redemptore opus habere agnovit, per revelationem accepisse à Deo sacrificiorum rationem & ritum: neque dubitandum est, eum sacrificâsse & filios docuisse, etsi de ipsius Adami sacrificiis nihil in Scriptura legatur. Quæ fuerit antiquæ Christianæ Ecclesiæ hac de re sententia, docebit Eusebius Evangelicæ Demonstrationis lib. 1. cap. 10. ubi de piis Deóq; dilectis Patriarchis loquitur, qui τὴν διὰ ζώων θυσίαν obtulisse memorantur: Τούτου δὲ τὸν λογισμὸν ἡγοῦμαι εἶναι οὐ τὸν τυχόντα, οὐδ' ἀνθρωπίνως κεκινημένον, κατὰ θείαν δ' ἐπίνοιαν ὑποβεβλημένον, inquit: id est, *Ad id faciendum non fortuito consilio, nec humano motu vel ratiocinatione, sed divinitus suggestâ cogitatione eos inductos fuisse existimo.* Addit, Ἐπειδὴ γὰρ ἑώρων, μεγάλης αὐτοῖς θεραπείας δεῖν εἰς ἀποκάθαρσιν τῶν θνητῶν πλημμελημάτων, λύτρον τῆς οὐτῶν σωτηρίας τῷ καὶ ζωῆς καὶ ψυχῆς χορηγῷ προσοφείλεσθαι ἡγοῦντο· ἔπειτα μηδὲν κρεῖττον

καὶ τιμιώτερον τῆς οἰκείας ψυχῆς καθιερῶν ἔχοντες, ἀντὶ ταύτης τέως τὴν διὰ τῶν ἀλόγων ζώων προσῆγον θυσίαν, τῆς σφῶν ψυχῆς ἀντίψυχα προσκομίζοντες· hoc est, *Cùm intelligerent, ad peccatorum mortalium purgationem maximum obsequium cultúmque [Numinis] requiri, lytron [sive redemptionis pretium] pro salute impetranda Deo vitæ animæq; datori persolvendum esse existimabant. Nihil autem habentes suâ ipsorum animâ præstabilius, aut pretiosius, quod dedicarent, interim animalia rationis expertia sacrificabant, pro anima sua vitam animalium Deo offerentes.* Ibidem Eusebius citat verba Legis divinæ, quæ Moses literis prodidit Lev. 17. Ψυχὴ πάσης σαρκὸς αἷμα αὐτοῦ ἐστι· καὶ ἐγὼ δέδωκα ὑμῖν τὸ αἷμα ἐπὶ τοῦ θυσιαστηρίου, ἐξιλάσκεσθαι περὶ τῶν ψυχῶν ὑμῶν· τὸ γὰρ αἷμα ἀντὶ τῆς ψυχῆς ἐξιλάσεται. Latinus Interpres sic reddidit, *Anima carnis in sanguine est; & ego dedi illum vobis, ut super altare in eo expietis pro animabus vestris, & sanguis pro animæ piaculo sit.* Eum locum sic explicat Pererius, *Jussit Deus pro expiatione criminum, sanguinem animalium quæ immolabantur, poni super altari, vel ad basim ejus fundi. Nam quia sanguis quodammodo est anima animalium, satìs convenienter immolabatur pro expiatione animarum hominum: vel, quia propter admissa crimina debuisset sanguis & vita hominum profundi & perdi, clemens Dominus simul & justus, pro vita & anima hominis jussit vitam & sanguinem animalium sibi offerri.* Quod Deus populo suo in Lege Mosaica præscripsit περὶ τοῦ αἵματος τῶν ἀλόγων ζώων, id ante Legem scriptam potuit sanctis Patriarchis innotescere. Multa enim antiquitus fuêre in usu apud viros bonos & religiosos Dei cultores, quæ postea per Legem Mosis sancita & Hebræis præscripta sunt. Neque id solùm sciebant, ὅτι ἀντίψυχα τῆς αὐτῶν ψυχῆς προσήγετο τὰ ζωοθυτούμενα, sed & Christi lytron videntur respexisse; siquidem Deus, qui hunc sacrificiorum ritum primis hominibus tradidit, sacrificiis istis expiatoriis Christi sacrificium adumbrari & præfigurari voluit. Ἕως μὲν οὖν οὐδέπω τὸ κρεῖττον οὐδὲ τὸ μέγα καὶ τίμιον καὶ θεοπρεπὲς σφάγιον παρῆν ἀνθρώποις, (Eusebii verba sunt loco suprà citato) ταῖς διὰ ζώων θυσίαις λύτρα τῆς ἑαυτῶν ζωῆς καὶ ἀντίψυχα τῆς οἰκείας φύσεως προσηκόντως ἀποδιδόναι χρῆν τῷ Θεῷ· id est, *Quantisper & melius non suppeteret hominibus sacrificium, & nondum advenisset illa magna, pretiosa, Deóque digna victima, mactatis animalibus vitam suam redimere, & ipsius animalis animam pro natura propria convenienter offerre Deo oportebat.* Mox apertè fatetur, pios illos Patriarchas, prophetico spiritu donatos (tales enim fuêre

Abel, Enoch, Noë, Abraham, aliíque multi qui ante Legem vixerunt) adventum Christi, qui sanguine suo peccata hominum purgaturus esset, præsensisse: Σεμνόν τι καὶ θεοφιλὲς καὶ μέγα ἱερεῖον ἔδειν ποτὲ εἰς ἀνθρώπους τὸ θεῖον πνεῦμα προειληφότες, τὸ τοῦ παντὸς κοσμικὸν ἁμάρτημα, ὃ καὶ τὰ σύμβολα τότε ἐπετέλουν αὐτὸς προφήτας ὄντας καὶ τὸ μέλλον ἔσεσθαι προτυποῦντας· hoc est, *Cùm venerandum aliquod Deóque charum & magnum sacrificium aliquando ad homines venturum cogitatione præcepissent, quod totius mundi peccata expiaret, ejus symbola interim peragebant, ut qui prophetæ essent, id, quod futurum erat, typicè exprimentes.*

Hinc discas, quorsum Deus ab ipso mundi exordio sacrificia sibi offerri voluerit, & quomodo illa sacrificia Patriarcharum Deo grata & accepta fuerint. Duas enim ob causas ab initio Patribus datum fuit sacrificandi mandatum: nempe, ut commune esset pietatis exercitium, dum se profitebantur Dei esse, suáque omnia illi ferebant accepta: deinde ut commonefierent expiatione aliquâ opus esse ad se Deo reconciliandos. Et profectò quatenus in externis sacrificiis Christum apprehenderunt Patres, illis verè exhibita fuit expiatio. Itaque dicitur Deus respexisse ad Abel, & ad sacrificium ejus. Primùm personam, id est, fidem & puritatem animi respexit: indè externum cultum æstimavit. Non enim numerum, magnitudinem, aut præstantiam, sed offerentium pietatem ac religionem æstimat Deus. De expiatione factâ per victimas, quæ Christum præfigurabant, accuratè disputat Hugo Grotius libro de satisfactione Christi, cap. 10.

Cùm Deus Abelis munus approbaret, ad Cain verò & ad oblationem ejus non respiceret, iratus Cain fratrem suum occîdit, Gen. 4. Probabile est, ex continuo rerum successu Cain intellexisse, fratris oblationibus suas fuisse posthabitas. Vidit fratri meliùs esse quàm sibi: indè collegit, Deum illi esse propitium, sibi infensum. Ità Mercerus, & alii. Videtur autem Deus externo aliquo signo demonstrâsse suam approbationem. Id enim innuunt hæc verba epistolæ ad Hebræos, cap. 11. de Abele, Ἐμαρτυρήθη εἶναι δίκαιος, μαρτυροῦντος ἐπὶ τοῖς δώροις αὐτοῦ τοῦ Θεοῦ· .i. *Testimonium consecutus est, quòd esset justus, testificante Deo de donis ab eo oblatis,* quòd sibi grata essent. Ad eum locum B. Chrysostomus, πῶς (inquit) ἐμαρτυρήθη εἶναι δίκαιος; λέγει πῦρ κατελθὸν ἀναλαβεῖν τὰς θυσίας· ἀντὶ γὰρ τοῦ, Ἐπὶ Ἄβελ ἐπέβλεψε καὶ ἐπὶ τὰς θυσίας αὐτοῦ ὁ Κύριος, Ἐνεπύρισεν εἶπεν· id est, *Quomodo accepit testimonium quòd sit justus? Dicitur ignis descendisse, & assumpsisse ejus sacrificia. Nam pro eo quod*

est,

eſt, DOMINUS AD ABELEM ET AD SACRIFICIA EJUS RESPEXIT, [*alius interpres*] INCENDIT, *dixit*. Illud, Ἐπέβλεψεν, in verſione Theodotionis legebatur, ut docet B. Hieronymus Traditionibus Hebraicis in Geneſin: *Unde*, inquit, *ſcire poterat Cain, quòd fratris ejus munera ſuſcepiſſet Deus, & ſua repudiâſſet, niſi illa interpretatio vera eſſet, quam Theodotion poſuit*, Et inflammavit Dominus ſuper Abel, & ſuper ſacrificium ejus; ſuper Cain verò, & ſuper ſacrificium ejus non inflammavit? *Ignem autem ad ſacrificium devorandum ſolitum venire de cælo, & in dedicatione Templi ſub Solomone legimus, & quando Elias in monte Carmelo conſtruxit altare*. Hæc ille. Cain igitur, cujus ſacrificium non inflammavit ignis cœleſtis, igne ſuccenſus eſt invidiæ & odii adverſus fratrem: quibus duabus facibus agitatus eum interfecit.

Ante necem Abelis complures filios Adamus progenuiſſe creditur, ut notat Pererius. Nam ſi Abel interfectus eſt circa centeſimum & trigeſimum annum ætatis Adami (quod ex verbis Moſis poteſt colligi, ut infrà dicemus) quis credat, per totos illos centum & propè triginta annos, duos tantùm filios (Cainum dico & Abelem) fuiſſe generatos ab Adamo: cùm Adam & Eva creati fuerint à Deo corpore ætatéque perfectâ, & ad generandum validâ, ipſíque maximam à Deo vim fœcunditatis accepiſſent; ſcilicet ut opus erat in exordio Mundi ad propagandum & multiplicandum genus humanum? Filias quoque ex Adamo & Eva procreatas ac ſuſceptas fuiſſe, non eſt dubitandum, etſi Scriptura non memoret. In tota quidem generationum ſerie ad Diluvium uſque pauciſſimas fœminas commemorat Moſes, ſine quibus tamen genus humanum jam non potuit propagari. Abel non videtur uxorem duxiſſe, aut certè prolem non videtur ſuſcepiſſe. Cain uxorem duxit, ut conſtat ex capite quarto Geneſeos; & eam quidem ipſius ſororem fuiſſe, neceſſe eſt ut fateamur: Neque id pro inceſto eſt habitum, quia erat neceſſarium ad generis propagationem. Non multò poſt Abelis mortem Seth genitus eſt. Antequam verò ad Sethi nativitatem accedat Moſes, totam Caini hiſtoriam uno ductu pertexit, temporibus tamen non adnotatis. Cognovit Cain uxorem ſuam, quæ concepit, & peperit Henoch. Hunc Caini filium primogenitum fuiſſe, ait Joſephus. Quod ſi verum eſt, Henoch iſte natus fuerit ante patris condemnationem. Alios Caini filios omittit Moſes; cujus conſilium

consilium fuit, unàm tantùm lineam prosequi, donec ad Lamech veniret.

Primus urbis conditor est Cain, ut narrat Moses Gen. 4. 17. *Ædificavit civitatem, vocavítque nomen ejus ex nomine filii sui Henoch.* Hæc autem urbs non statim post genitum Henochum filium conditâ videtur, sed multò pòst, scilicet cùm jam senex esset Cain, & quingentesimum ætatis annum ageret. Per quingentos circà annos potuit in tantum multiplicari soboles ejus, ut ea non modò civitati sed etiam provinciæ colendæ & inhabitandæ sufficeret, cùm in mundi exordio maxima fuerit naturæ humanæ fœcunditas. Henoch Caini filius Iradum genuit, qui Græcis Γαϊδὰδ appellatur. Iradi filius est Mehujael; Mehujaelis filius, Methusael; Methusaelis filius, Lamech.

Lamech Caini adnepos, duas uxores duxit, Adan, & Sellam. Ex Ada Jabal, ex Sella Tubal-cain nascitur. Jabal fuit pater habitantium in tentoriis, atque pastorum. Quanquam enim primus pastor fuit ipse Abel Adami filius, tamen Jabal Lamechi filius primus adinvenit artem habitandi in tabernaculis ut pasceret gregem. Tentoria quidem in usu antea fuisse, credibile est; siquidem tentoriorum quàm ædium, & ædium quàm urbium usus antiquior: tamen Jabal primus invenerit artem illam pastoritiam, quâ ad commoditatem pascuorum tentoria mutarentur è loco in locum, & pecora ducerentur atque tractarentur, ut commodiùs fœtificarent & augescerent. Jubal Jabalis frater, inventor fuit citharæ & organi, sive instrumentorum musicorum. Tubal-cain fabrilis artis inventor est, tam ærariæ, quàm ferrariæ: unde, ut nonnulli putant, Vulcani nomen apud Ethnicos mansit. Lamech venationi deditus Cainum atavum suum densis in sylvis inerrantem, cùm feram esse putaret, sagittâ confixum interfeciisse dicitur. Vetus hæc fuit traditio, cujus meminit B. Hieronymus epistolâ quâ respondet ad quæstiones à Damaso propositas: *Majorum nostrorum ista sententia est*, inquit, *quòd putent in septima generatione à Lamech interfectum Cain.* Theodoretus non ipsum Cain, sed alium quempiam hominem ætate adolescentem à Lamecho occisum fuisse arbitratur; ob id tamen illum homicidii pœnam evasisse, quòd crimen suum vehementer doluit, & majori supplicio, quàm ipsum Cain, dignum se judicavit.

Filiam quoque Lamech ex Sella suscepit, quæ Noëma Mosi nomi-

Mosi nominatur: Soror verò Tubal-cain, Noëma, sive Naama. Nomen hoc jucunditatem vel suavitatem significat: unde quidam Hebræorum colligunt, hanc Naamam musices vocalis inventricem fuisse: alii lanificium & texturam invenisse putant, cùm antè homines pellibus induerentur. In Beresith rabba (teste Mercero) hæc Naama uxor Noë fuisse legitur: itaque hoc modo ex Cain memoria aliqua remanserit, si hæc cum Noë & filiis servata fuerit tempore Diluvii, quo cætera omnis Caini soboles fuit extincta. Apud Epiphanium uxor Noë Barthenos appellatur: Βαρθένος, inquit, τῷ Νῶε γέγονε γυνή.

ANNUS MUNDI & ADAMI CXXX.

SEth nascitur anno Adami centesimo trigesimo. Eva mater vocavit nomen ejus *Seth*, quod *positum* significat, vel *substitutum*. Etymon ex matris ipsius verbis fit manifestum: *Quia posuit mihi Deus semen aliud*, inquit, *pro Abel, quem occidit Cain*, Gen. 4. 25. Hujus nativitas pòst commemoratur cap. 5. 3. *Vixit autem Adam centum triginta annis; & genuit filium ad imaginem & similitudinem suam, vocavitque nomen ejus Seth.* Dicitur Adamus genuisse hunc filium ad imaginem & similitudinem suam, non quòd Cain & Abel generati non fuerint ad patris imaginem, sed quia in solo Seth conservata est posteritas Adami, & species naturæ humanæ per ipsum Seth propaganda erat: Siquidem posteritas Cain tota per Diluvium est deleta: ipsius verò Abel, nullâ relictâ prole, nulla fuit posteritas. Solius autem Sethi posteritas permansit, atque ex ea proseminatus est populus Dei, & universum genus humanum propagatum.

Abelem fuisse occisum circa 130 annum Adami, rectè animadvertit Cajetanus, id est, vel eodem anno quo generatus est Seth, vel uno aut altero anno anté. Nam si aliquot annos ante ortum Sethi occisus fuisset Abel, per illos annos aliquem alium filium procreâsset Adam, & ille veriùs dici potuisset datus Adamo pro Abel, quàm Seth, qui post eum natus fuisset. Quod autem dixit Eva, Sethum fuisse datum sibi pro Abel; non significat ante generationem Sethi non fuisse Adamo alium filium nisi Cainum: sed illud potiùs, noluisse Deum ut Adamus numero filiorum suorum aliqua

ex parte fraudaretur. Licèt enim orbatus fuisset filio Abel, continuò tamen in ejus locum Seth substitutus est.

Qualis quantúsque vir Seth fuerit, cognosci potest ex his Suidæ verbis: Θεὸν γὰρ τὸν Σὴθ οἱ τότε ἄνθρωποι προσηγόρευον, διὰ τὸ ἐξευρηκέναι τά τε Ἑβραϊκὰ γράμματα, τάς τε τῶν ἀστέρων ὀνομασίας καὶ πρὸς τούτοις πολλὴν εὐσέβειαν αὐτῷ θαυμάσαντες hoc est, *Seth ab hominibus illius ætatis Deus fuit appellatus, eo quòd & Hebraïcas literas, & stellarum appellationes invenisset, omnibúsque admirationi esset, ob insignem ejus pietatem.* Hæc ille ex antiquorum Theologorum sententia, qui filios Dei (quorum meminit Moses Gen. 6.) Sethi filios fuisse tradiderunt. Consimilia his habet Theodoretus quæst. 47. in Genesin. Sethi filios ante Diluvium astronomiæ peritos fuisse habitos, discas ex Veterum Traditione de Columnis filiorum Seth, quæ extat apud Josephum Antiquit. lib. 1. cap. 3. Seth ex filiabus Cain uxorem non duxisse, verisimile est, sed potiùs ex sororibus suis, id quod tum temporis licuit ad genus propagandum.

De anno, quo natus est Seth, quæri potest, fueritne ille annus Adami 130 completus, an inchoatus tantúm. Si non antè natus fuit, quàm pater centesimum trigesimum ætatis suæ annum complêsset, primus Sethi annus incidit in Adami annum 131. Sin verò natus fuerit Seth, quando Adam jam ingressus est annum ætatis 130, primus Sethi annus partim saltem cum eodem centesimo tricesimo patris anno concurrit. Idem dici potest de anno, quo Seth filium suum Enosum, & quo Enos Cainanem, &c. genuisse dicuntur. Jacobus Cappellus annum inchoatum non quidem semper sed aliquoties sumendum, existimavit: Plerique autem Interpretes annos completos potiùs intelligunt, ut infrà notamus ad annum Mundi 1656.

ANNUS MUNDI & ADAMI 235. *SETHI* 105.

ENos Sethi filius nascitur anno patris centesimo quinto. *Tunc cœptum est invocari nomen Domini,* ut scribit Moses Gen. 4. 26. Quæritur, quomodo verum sit, vel ab ipso Enos, vel tempore ejus primùm invocari cœptum esse nomen Domini. Nam & Seth pater Enosi vir fuisse insignis pietate ac religione traditur: & ante eum Cain & Abel per oblationes & sacrificia Deum invocârunt: nec dubitari

dubitari debet, quin primus omnium Adamus Deum per frequentes precationes & oblationes invocare ſolitus fuerit, idque filios ſuos docuerit. Cajetanus opinatur, Enos fuiſſe primum, qui Deum ſub nomine יְהוָה invocare cœperit. Sed illud Nomen tetragrammaton nulli Patrum ante Moſem fuiſſe à Deo manifeſtatum, legimus Exod. cap. 6. 3. *Verius igitur dictu fuerit,* inquit Pererius, *propterea Enos dici primum invocâſſe nomen Domini, quia ſuper omnes priores pius & religioſus erga Deum fuerit, non modò colendo pietatem & religionem adverſus Deum, ſed eam quoque prædicando, divulgando, aliósque homines docendo: Vel quia iſte primus certas quaſdam precationum formulas condidit, certoſque ritus & cæremonias divini cultûs adinvênit; cujusmodi fortaſſe fuit altarium erectio, & cæterorum locorum ad invocandum Deum, cultúmque ejus adminiſtrandum deſignatio, & dedicatio: Vel denique quia cœpit congregare populum ad tractandum ſimul Dei cultum, quaſi Eccleſiam fidelium inchoans, & adunans.* Hanc interpretationem Mercero & Druſio placuiſſe video. De vera autem expoſitione loci Exod. 6. 3. conſulas Pererium Diſput. 3.

Enos fuiſſe Sethi primogenitum quidam putârunt. Quam opinionem non probat Mercerus. Nam Seth, qui annos centum & quinque natus demum hunc filium genuit, alios potuerit ante illum gignere: ſed eorum in genealogia Patrum ſubſequentium uſque ad Noë, non habetur ratio; quòd ſequentes Patres & tandem Chriſtus ex illis non deſcenderint rectâ lineâ, & generationis ſerie.

ANNUS MUNDI & ADAMI 325.
SETHI 195.

CAinan Enoſi filius anno patris nonageſimo naſcitur.

ANNUS MUNDI & ADAMI 395.
SETHI 265.

MAhalaleel Cainanis filius naſcitur anno patris ſeptuageſimo.

ANNUS MUNDI & ADAMI 460.
SETHI 330.

JAred Mahalaleelis filius anno patris ſexageſimo quinto naſcitur.

ANNUS MUNDI & ADAMI 622.
SETHI 492.

HEnoch Jaredi filius naſcitur anno patris centeſimo ſexageſimo ſecundo. Hoc nomen antea Cain filio ſuo impoſuerat primogenito, quòd eſſet ſobolis ſuæ initium, ut notat Mercerus: Hanoch enim ſonat initiationem. Eâdem forſan ratione Jared primogenitum ſuum Henoch appellavit. Aliis placet, Jaredi filium hoc nomine divino cultui deſtinatum fuiſſe; quaſi dicas Initiatum, vel initiandum ſacris. Nominis ſui documento obſecutus Henoch à Deo adſcitus eſt, non tantùm ut fidelis, ſed etiam ut propheta. Prophetiam Henochi laudat B. Judas Apoſtolus.

ANNUS MUNDI & ADAMI 687.
SETHI 557.

MAthuſala Henochi filius naſcitur anno patris ſexageſimo quinto. Adam & Mathuſala implent totum temporis intervallum, quod eſt inter Mundi Creationem & Diluvium; ità quidem ut Mathuſala cum Adamo vixerit annos 243, ab eóque potuerit tam præſentis quàm futuræ vitæ documenta multa accipere, quæ ipſe poſteris traderet.

ANNUS MUNDI & ADAMI 874.
SETHI 744.

LAmech Mathuſalæ filius naſcitur anno patris centeſimo octogeſimo ſeptimo.

ANNUS MUNDI & ADAMI 930.
SETHI 800.

ADam moritur, anno ætatis nongenteſimo triceſimo exeunte. Notandum, tres Patriarchas inveniri longioris vitæ, quàm fuerit Adam; nempe Jared Henochi patrem, & Noë, & Mathuſalam. Verùm ſi conſideretur ætas, quâ creatus fuit Adam, nimirum perfecta, & idonea ad generandum; apparebit longæviorem dici poſſe Adamum, quàm ipſum Mathuſalam, qui vitam produxit ad 969 annum. Nam cùm ætas virilis hominum viventium centum annos ſit ætas triginta annorum, conſentaneum eſt, ætatem virilem hominum viventium ferme ad mille annos, fuiſſe ſexaginta circiter annorum.

rum. Certè neminem reperies in hac prima Ætate Mundi, & in hac ſerie generationum, qui non poſt 60 annum generâſſe memoretur. Si igitur Adam creatus eſt in ætate quaſi 60 annorum, & poſtea vixit 930 annos: tota ejus vita verè æſtimari & cenſeri poteſt 990 annorum. Et ſanè congruit hoc rationi, ut primus vir, Dei manibus formatus, longævior fuerit, quàm quivis alius mortalium. Vidit Adam octo ſuas generationes: obiit autem annis 726 ante Diluvium. Et quia, ſecundum Joſephum, corruptio generis humani (propter quam Deus immiſit Diluvium) evênit ſeptimâ generatione, eam quoque vidit Adam: ob quam, & ob futurum generis humani excidium per Diluvium haud dubiè ipſi Adamo præmonſtratum, credendum eſt magno in mœrore & dolore extremam vitam ipſum egiſſe. Adamum feriâ ſextâ, ut creatum, ità & lapſum, ac mortuum quidam tradiderunt. Vide Irenæum lib. 5. cap. 23.

ANNUS MUNDI 987. *SETHI* 857.

HEnoch non moritur, ſed poſtquam fide Deo placuiſſet, & ſecundum Deum ambulâſſet, anno ætatis 365, nè guſtatâ quidem morte, in cœlum transfertur.

A. M. 1042. *SETHI* 912.

SEth Adami filius moritur anno ætatis nongenteſimo duodecimo.

A. M. 1056. *NOÆ* 1.

NOë ſive Noach Lamechi filius naſcitur anno patris centeſimo octogeſimo ſecundo. Nomen *Quietem* ſignificat. Futurum videlicet vaticinabatur patriarcha Lamech, ut tranquillo filii ingenio oblectatus Deus, in illo quietem terræ Diluvio perdendæ redditurus eſſet. Hoc vaticinium ſive præſagium eventu poſtea comprobatum eſt Gen. 9. Plura de nominis hujus etymo legi poſſunt apud doctiſſimos interpretes, Mercerum & Pererium.

A. M. 1140. *NOÆ* 84.

ENos moritur anno ætatis nongenteſimo quinto.

A. M. 1235. *NOÆ* 179.

CAinan moritur anno ætatis nongenteſimo decimo.

A. M. 1290. *NOÆ* 234.

MAhalaleel moritur anno ætatis octingenteſimo nonageſimo quinto.

A. M. 1422. *NOÆ* 366.

JAred moritur anno ætatis nongenteſimo ſexageſimo ſecundo.

A. M. 1536. *NOÆ* 480.

DEus videns omnes homines nullo inter Sethi & Caini poſteros diſcrimine quaſi in facinus jurâſſe, denunciat, ſe intra centum ac viginti annos perditurum genus humanum, Gen. 6. 3.

A. M. 1556. *NOÆ* 500.

NOë quingenteſimo ætatis anno gignit Semum, Chamum, Japhetum; non ſimul omnes, ſed unum aliquem hoc anno. Is videtur eſſe Japhet: quod colligitur ex Gen. 11. ubi Sem centenarius dicitur genuiſſe Arphaxadum biennio poſt Diluvium. Hinc patet, Semum generatum fuiſſe anno patris quingenteſimo ſecundo, ideóque non eſſe maximum natu. Cham verò minor natu filius Noæ dicitur Gen. 9. 24. Japhet autem Gen. 10. 21. natu major frater Semi appellatur, ſi Græci Interpretes rectè vertunt. In Hebræo textu ambigi quidem poteſt, utrùm הַגָּדוֹל ad Japhetum, an ad Semum referri debeat. Vetus Interpres Latinus reddit, *De Sem quoque nati ſunt, patre omnium filiorum Eber, fratre Japhet majore.* Et dici potuit Sem major Japheti frater, non quia major ipſo Japheto, ſed quia major Chamo. Sunt hi duo fratres Japheti: major Sem, minor Cham. Primogenitus ergò Noæ eſt Japhet, ὁ πλατυνόμενος, *qui dilatandus erat:* hæc enim nominis eſt ſignificatio. Quò ſpectat paronomaſticum illud Noæ vaticinium, יַפְתְּ אֱלֹהִים לְיֶפֶת id eſt, *Dilatet Deus Japheto*, vel *Dilatabit Deus Japheto*, ſcilicet habitandi locum. De hac dilatatione Japheti vide quæ eruditè ſcripſit Nicolaus Fullerus Miſcellaneorum libro ſecundo, cap. 4.

In Patriarchis ante Diluvium ætas ſeptuaginta annorum matura erat & firma ad generandum, ut exemplo Cainanis, Mahalaeelis, & Henochi manifeſtum eſt. Hinc quæri poteſt, quî factum ſit, ut alii tam

tam ſerò filios procreâſſent. Lamech enim Mathuſalæ filius genitus eſt anno patris 187, & ipſe 182 annos natus filium Noam genuit: cujus tres filios non ante quingenteſimum patris annum natos fuiſſe conſtat. Non veriſimile eſt, eos, qui tam ſerò genuiſſe memorantur, continentiæ ſtudio diu ab uxoribus abſtinere voluiſſe. Ipſum enim opus generationis eo maximè tempore, quo multiplicari debebat genus humanum, honeſtum & laudabile erat: & Henoch, qui propter eximiam & ſingularem ejus ſanctitatem tranſlatus à Deo eſt, ante ſeptuageſimum annum vacâſſe generationi, & filios procreâſſe legitur. Hanc dubitationem ſic explicat Pererius: *Mihi*, inquit, *ſimillimum vero ſit, ſeriem decem generationum ab Adamo uſque ad Noë, non eſſe perpetuò deſcriptam à Moſe per filios primogenitos, ſed in aliquibus generationibus contextam eſſe per alios filios poſteriores, per quos ſcilicet deducebatur rectâ lineâ progenies ipſius Seth uſque ad Noë, quò potiſſimùm intendebat Moſes ſeriem illarum generationum deducere.* Neque igitur Henoch fuit primogenitus filius Jared: neque primus filius, quem genuit Mathuſala, fuit Lamech: neque hujus primogenitus fuiſſe putandus eſt Noë; quem ante quingenteſimum annum complures alios filios generâſſe credibile eſt: Sed quia illi vel naturali vel violentâ morte extincti, Diluvio ſuperſtites non fuerunt, ſicut alii tres filii, Sem Cham & Japhet, per quos poſt Diluvium genus humanum multiplicatum eſt; propterea, illis prætermiſſis, hos duntaxat Moſes commemorare voluit. Vide quæ B. Auguſtinus hac de re diſputat libro 15 De Civitate Dei, cap. 20.

A. M. 1558. *NOÆ* 502.

SEm Noæ filius genitus eſt anno centeſimo ante Arphaxadi nativitatem, quem biennio poſt Diluvium ab ipſo Semo procreatum narrat Moſes Gen. 11. 10. Deum in tentoriis Semi habitaturum prædixit Noë Gen. 9. 27. Ex Semi enim poſteris Deus populum ſibi peculiarem delegit, & inter ipſos ὁ Λόγος incarnatus ἐσκήνωσεν, *in quo omnis plenitudo Deitatis habitat.* Alii Japhetum in tentoriis Semi habitaturum prædici volunt: de qua interpretatione conſulas Pererium. Prior autem interpretatio maximè probatur Theodoreto: nec eam improbat Liranus. Sed & Chaldæus Paraphraſtes habitandi verbum non ad Japhetum, ſed ad Deum retulit. Dei quidem

dem nomen ſpeciali & præcipuo quodam modo apud Hebræos à Semo propagatos, poſitum ſive collocatum fuiſſe, docet Scriptura, Exodi cap. 23. 20, 21. Deut. 12. 2. Pſal. 76. 1. Idcirco (ut nonnullis placet) hic filius Noæ *Sem*, id eſt, *Nomen*, appellatus eſt. Is non tantùm patris Noæ, & avi Lamechi, ſed etiam proavi ſui Mathuſalæ diſcipulus, poſtea cœleſtis doctrinæ fidus conſervator ac propagator fuiſſe videtur uſque ad Iſaaci tempora.

A. M. 1651. *NOÆ* 595.

LAmech pater Noæ moritur anno ætatis ſeptingenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo.

A. M. 1656. *NOÆ* 600.

MAthuſala moritur anno ætatis ſuæ nongenteſimo ſexageſimo nono, paulo ante Diluvium.

A creatione Adami uſque ad Diluvium (quod ſexcenteſimo anno vitæ Noæ contigit, Gen. 7. 6.) numerantur ſecundum Hebraicam ſcripturam anni 1656. Interceſſerunt verò decem generationes. Hæc autem annorum ſumma facilè colligitur ex annis, quos Scriptura Geneſeos cap. quinto ſingulis generationibus aſſignat. In colligendis harum Generationum annis attendere oportet, quot annos natus eſſet pater, cùm genuit filium; reliqui verò omnes anni, quos vixit poſt genitum filium, omittendi ſunt, quòd ſint patri cum filio communes. Igitur ſeries Generationum ità ſe habet:

Adam cùm genuit Seth, erat annorum	130	
Seth cùm genuit Enoſum, erat	105	
Enos cùm genuit Cainan, erat	90	
Cainan cùm genuit Mahalaleelem, erat	70	
Mahalaleel cùm genuit Jaredum, erat	65	Summa
Jared cùm genuit Henochum, erat	162	1656.
Henoch cùm genuit Mathuſalam, erat	65	
Mathuſala cùm genuit Lamech, erat	187	
Lamech cùm genuit Noë, erat	182	
Noë, tempore Diluvii, erat annorum	600	

Extremus cujuſque generationis annus, quo dicitur pater genuiſſe filium (exempli cauſâ, annus centeſimus trigeſimus, quo Adam

Adam genuit Seth) tripliciter potest intelligi: vel, ut is annus fuerit tantummodo inchoatus, &, ut vulgò dicitur, currens: vel, ut fuerit jam completus, & præterea dies aliquot sequentis anni continens: vel denique, ut fuerit præcisè completus. Hoc postremo modo Ecclesiastici omnes chronographi, teste Pererio, ultimos singularum Generationum annos accipiunt, sicque Summa illa quam posuimus mille sexcentorum quinquaginta sex annorum existit.

Tabula annorum chronologica.

Ann. Adami									
130	Seth nascitur.								
235	105	Enos nascitur.							
325	195	90	Cainan nascitur.						
395	265	160	70	Mahalaleel nascitur.					
460	330	225	135	65	Jared nascitur.				
622	492	387	297	227	162	Henoch nascitur.			
687	557	452	362	292	227	65	Mathusala nascitur.		
874	744	639	549	479	414	252	187	Lamech nascitur.	
930	800	695	605	535	470	308	243	56	Adam moritur.
Ann. Mund.									
987	857	752	662	592	527	365	300	113	Henoch transfertur.
1042	912	807	717	647	582		355	168	Seth moritur.
1056		821	731	661	596		369	182	Noë nascitur.
1140		905	815	745	680		453	266	84 Enos moritur.
1235			910	840	775		548	361	179 Cainan moritur.
1290				895	830		603	416	234 Mahalaleel moritur.
1422					962		735	548	366 Jared moritur.
1556							869	682	500 Japhet nascitur.
1558							871	684	502 Sem nascitur.
1651							964	777	595 93 Lamech moritur.
1656		D	I	L	U-		969		600 98 Mathusala moritur
		V	I	U	M.				ante Diluvium.

Deus mundum universali Diluvio puniturus, pro sua misericordia semen aliquod reservat, ex quo rursus genus humanum & Ecclesiam propaget, selectâ ad eam rem pii Noæ familiâ.

Noë Dei jussu constructâ Arcâ ex lignis Gopher, id est, cedrinis, cujusvis generis animalia, ex immundis quidem bina, ex mundis verò bis septena congregat, & in Arcam immittit, decimo die mensis secundi, id est, Aprilis 12 (ut putat Cappellus) triduo post æquinoctium vernum. Pluviæ cœperunt die 17 secundi mensis, Aprilis 19. Pluit dies quadraginta: diebus verò 110 novi aquarum fontes undique ebullierunt. Igitur aquæ invaluerunt dies centum quinquaginta, usque ad septimi mensis diem decimum septimum.

Pluviæ desierant die 29 Maii: novæ scaturigines ebullire cessârunt Septembris 16. Itaque ab Aprilis 19 creverunt aquæ, & Septembris demum 16 decrescere cœperunt. Cacumina montium apparere cœperunt die primo decimi mensis, Novembris penultimo. Cùm enim aquæ altissimos montium vertices quindecim cubitis superâssent; his exsiccandis dati sunt dies 74. Supererat altitudo montium: cui exsiccandæ dati sunt dies nonaginta quinque. Noë, expectatis post conspecta montium cacumina diebus quadraginta, emisit corvum undecimi mensis undecimo die, Januarii octavo. Ab emissione Corvi ad primam emissionem Columbæ quot dies Noë expectârit, non exprimit Moses. Ex Gen. 8. 10. colligi videtur, Noam expectâsse dies septem. Sed si ità esset, annus quo utebatur Noë, constaret tantùm mensibus undecim, hoc est, diebus trecentis triginta. Josephus Scaliger putat Noam bis quadragenos bísq; septenos dies expectâsse. Ità sanè constabit anno Patriarcharum numerus dierum 365, quam anni formam in Parasceve nostra diximus videri antiquissimam. Noë igitur, expectatis quadraginta diebus post Corvi emissionem, Columbam emittit, duodecimi mensis die 21, id est, Februarii 17. Columba, cùm non haberet ubi pedem figeret, ad Noam redit. Noë cùm expectâsset adhuc septem dies, iterum Columbam ex Arca emittit. Columba ad Noam revertitur, ramum virentis olivæ præferens. Septiduóque pòst Noë tertiò Columbam emittit, Martii tertio. Columba jam habens ubi pedem poneret, ad Noam non revertitur.

A. M. 1657. NOÆ 601.
SEMI 99.

NOë, ineunte sexcentesimo primo suæ ætatis anno, comperit siccatas esse Diluvii aquas. Quia tamen udum adhuc erat & cœnosum solum, expectavit Noë insuper dies quinquaginta septem, ac tum terra arida erat, Gen. 8. 14. Itaque secundi mensis die 27, id est, Aprilis vicesimo nono, Noë ex Arca egressus est. Locus ubi stetit Arca in Cardyæis Armeniæ montibus, *Apobaterium* dictus fuit, ab egressione ex Arca, ut scribit Josephus Antiq. lib. 1. cap. 4. ubi citantur hæc Berosi verba, Λέγεται δὲ καὶ τοῦ πλοίου ἐν τῇ Ἀρμενίᾳ πρὸς τῷ ὄρει τῶν Κορδυαίων ἔτι μέρος τι εἶναι, καὶ κομίζειν τινὰς τῆς ἀσφάλτου ἀφαιροῦντας· id est, *Fertur autem & navigii hujus pars quædam adhuc in Armenia apud*

apud montem Cordyæorum supereſſe, & quoſdam bitumen indè abraſum ſecum reportare. Nicolaus Damaſcenus libro 96 tum hujus Diluvii, tum Arcæ meminit: Ἔστι γάρ τίς Μινυάδα μέγα ὄρος κατὰ τὴν Ἀρμενίαν, Βάρις λεγόμενον, εἰς ὃ πολλοὺς συμφυγόντας ἐπὶ τῷ κατακλυσμῷ λόγος ἔχει περισωθῆναι· καί τινα ἐπὶ λάρνακος ὀχούμενον ἐπὶ τῆς ἀκρώρειαν ὀφεῖλαι, καὶ τὰ λείψανα ἐπὶ ξύλων ἐπὶ πολὺ σωθῆναι. *Eſt*, inquit, *ſuper Minyadem regionem magnus mons in Armenia, nomine Baris, in quo multos, cùm eò confugiſſent Diluvii tempore, ſervatos ferunt: & quendam Arcâ vectum in hujus vertice hæſiſſe, ac reliquias lignorum ejus longo tempore duraviſſe.* Montes Ararat (ſic enim Gen. 8. 4. vocantur) Chaldæus Interpres *Cardu* exponit. Cardyæi ſive Cordyæi iidem ſunt, qui & Gordyæi & Gordochi & Carduchi appellantur. Epiphanius ſub initium Panarii ſcribit, Arcam Noæ in monte Loubar inter Armenios & Cardyæos conſediſſe. Eôdem ferè loci templum Baridis commemorat Strabo. Apud Heſychium Βάρις, πλοῖον exponitur: & Herodotus navigium quoddam Ægyptiis hoc nomine appellatum fuiſſe teſtatur: unde conjectat Fullerus, à Navigio ſive Arca Noæ, quæ ſuper montes Armeniæ requievit, ἀπὸ τῆς Βάριδος νεὼς, & ipſum montem Βάριν (qui Epiphanio Λυβὰρ, Straboni Ἰμβάρις dici videtur) nomen habuiſſe. Certè Navigii illius reliquias ad ſuam uſque ætatem aſſervatas fuiſſe, & mirâ ſuperſtitione ab accolis exteriſque cultas, Beroſus (apud Joſephum loco citato) memoriæ prodidit. Itaque veriſimile eſt, extructo olim templo, repoſitas ibi Arcæ reliquias ſumma cum veneratione mortalium concurſantium fuiſſe ſpectatas.

Diluvium Noëticum Ethnicis innotuit. Præter Beroſum & Nicolaum Damaſcenum, quorum modò protulimus teſtimonia, alii duo Scriptores, Hieronymus qui Antiquitates Phœnicum ſcripſit, & Mnaſeas, Joſepho laudantur; qui πάντας τοὺς τὰς βαρβαρικὰς ἱστορίας ἀναγράφοντας, omnes Barbaricæ hiſtoriæ ſcriptores hujus Cataclyſmi & τῆς λάρνακος, id eſt, Arcæ, mentionem feciſſe affirmat. Euſebius, Præparationis Evangelicæ libro nono, Abideni hiſtorici teſtimonium ſubjungit: apud quem Siſithrus rex commemoratur, qui ubi à Saturno didiciſſet ἔσεσθαι πλῆθος ὄμβρων Δεσίου πέμπτῃ ἐπὶ δέκα, magnam vim aquarum die 15 Dæſii menſis futuram, in Armeniam navigio confugiebat, & ceſſante pluviâ emiſit aves, ut per eas ſciret ſicubi terra extaret: quæ cùm omnia pelagi facie tegerentur, ad Siſithrum reverſæ ſunt. Poſtquam verò Siſithrus hinc ad deos migrâſſet, ejus

Navigii ligna remedium hominibus adversus morbos attulisse, ait idem Abydenus: τὸ δ' πλοῖον ἐν Ἀρμενίᾳ περίαπτα ξύλων ἀλεξιφάρμακα τοῖσιν ἐπιχωρίοισι παρεῖχετο. Cyrillus Alexandrinus, libro primo contra Julianum, non solùm Abydeni verba citavit, sed & Alexandri Polyhistoris hac de re testimonium protulit. Cyrilli locum Latinè sic reddidit Joannes Oecolampadius: *Alexander quidem dicit, Arto defuncto, sub filio ejus Xisuthro fuisse magnum Diluvium, ipsúmque servatum, cùm prædixisset ei Saturnus futurum, & quòd fabricanda sit Arca, in qua ipse simul cum avibus, reptilibus & jumentis navigare debeat.* Ibidem addit Cyrillus, *Xisuthrum vocant Noë, fortassis Assyriorum voce: & in hoc iterum à vero aberrârunt, quòd, pro universorum Deo, Saturnum illi aiunt futura dixisse.* Plato non obscuram hujus Diluvii significationem dedit, qui in Timæo sacerdotem quendam Ægyptium inducit ex sacris Ægyptiorum libris referentem Soloni, ante particularia diluvia Græcis nota & celebrata, fuisse antiquitus maximam quandam inundationem, terræque vastationem. Columbæ ex arca Deucalionis emissæ meminerunt vetusti Scriptores, ut docet Plutarchus libro de Solertia Animalium: Οἱ μὲν μυθολόγοι, inquit, τῇ Δευκαλίωνί φασι πεισθεῖσαν ὑπὸ τῆς λάρνακος ἀφεμένην, δήλωμα γενέσθαι, χειμῶνος μὲν, εἰσω πάλιν ἐνδυομένην, εὐδίας δὲ, ἀποπτᾶσαν. id est, *Narrant mythologi, Columbam ex arca emissam Deucalioni certum indicium detulisse tempestatis, cùm rursus ingrederetur; serenitatis, cùm avolâsset.* Quod sanè ex Mosaica historia Noëtici Diluvii sumptum est. Ex qua etiam hausta sunt, quæ cecinit Ovidius de Diluvio Deucalionis: universa enim ejus descriptio non tam Deucalioneo Diluvio, quàm Noëtico convenit. Similis habetur Diluvii descriptio apud Lucianum, libello De Syria Dea. De particularibus cataclysmis, Ogygiano inquam & Deucalioneo, infrà dicemus, ad Annum Mundi 2244, & 2492.

Arcâ egressus Noë, ædificavit altare, & de mundis animalibus holocausta Deo obtulit, ut grati piíque erga Deum animi specimen ederet, & ut iram Dei his sacrificiis placaret. Significant sanè verba Mosis, indignationem divinam, per quam Diluvio destructus fuerat Orbis terrarum, sacrificio Noë mitigatam & placatam fuisse: unde apparet, illud sacrificium ἱλαστικὸν fuisse, vel expiatorium. Hos autem sacrificiorum ritus à Deo traditos hi, qui Diluvio superfuêre, per terras omnes dispersi ad posteros transmiserunt; mansítque aliquandiu non tantùm apud Semi, sed & apud Japheti (fortè

(fortè & Chami) posteros incorrupta religio, donec plurium, ideóq; falsorum deorum cultus in ejus locum succresceret. Sed tunc quoque Deo mutato mansêre ritus & cæremoniæ à pio usu ad impium translatæ, magnum adversus ipsos testimonium acceptæ veritatis, sed *per injustitiam detentæ*, ut inquit Apostolus. Omnes profectò Gentes persuasissimum habebant, delictis hominum offendi & irasci deos. Ex hac ira sequi solere magnas calamitates, quà privatas, quà publicas. Iram tamen hanc sperabant averti posse quibusdam victimis. Quare eadem sacrificia dicebantur ἱλαστικὰ, ἀγιστικὰ, & καθαρτικὰ. Latinè *placamina, februa, piamina*: quibus scilicet placari Numen, reus ipse purgari, peccatum piari atque lustrari credebatur. In his sacris expiatoriis sæpe sanguinis fit mentio: quia ex vetustissima Dei lege Noacho datâ, atque indè ad populos omnes propagatâ, sanguis est vice animæ, ac propterea animæ nomine appellatur. Piari propriè dicuntur ipsa peccata, sive solvendo pœnam debitam, sive aliud quod pœnæ debitæ in locum succedit. Quia verò Gentes non ignorabant Naturæ ductu, quo majus esset quod daretur Deo, eo faciliùs posse veniam impetrari, præsertim si aliqua esset τῆ ἀντιλύτρῳ cum eo quod redimeretur æqualitas; ideo à pecudum mactatione in piaculis faciendis ventum est ad mactationem hominum. Nam pro vita hominum nisi vita hominis reddatur, non posse Deorum immortalium numen placari arbitrabantur. Primi omnium hoc factitâsse reperiuntur Chananæi, hoc est, Phœnices. Quorum historiam à Sanchuniathone conscriptam plenam fuisse ejusmodi sacrificiorum narrationibus, narrat ex Philone Byblio Porphyrius. Plura de humanis victimis legas apud Grotium, libro De Satisfactione Christi, cap. 10.

A. M. 1658. *NOÆ* 602.
SEMI 100.

SEmo centesimum annum agenti nascitur Arphaxad biennio post Diluvium, Gen. 11. 10.

A. M. 1693. *NOÆ* 637.
SEMI 135.

ARphaxad annos triginta quinque natus generat Salam, Gen. 11. 12.

A. M. 1723. *NOÆ* 667.

SAla sive Shelach annos triginta natus gignit Heberum, à quo dicti Hebræi; & Hebræa lingua; propterea quòd cùm linguarum divisionem induxisset Deus, linguæ primitivæ ac linguarum omnium matricis usus in Heberi familia remansit. Ità Joseph. Antiq. lib. 1. cap. 7. Igitur Hebræus dicitur, ab Hebero ortus: quo nomine Abram à Cananæis appellatus est Gen. 14. 13. quòd is ex posteris Heberi solus vel præcipuus tum in terra Cananæa esset, reliquis Heberi filiis per Orientem in Indiam usque dispersis. Mansit hoc nomen in Abrahami posteris, ut videre est Gen. cap. 39. 14. & 40. 15. usque dum à Jacobo, qui & Israel dictus, Israelitarum nomen sortirentur. Sem honorificè appellatur Pater omnium filiorum Heber, id est Hebræorum, in qua sola familia & gente ex omnibus ab eo descendentibus veri Dei cultus viguit, & permansit: quanquam nec omnes ex Heber descendentes purum Dei cultum retinuerunt, sed qui ex Abrahamo fuerunt. Hinc Abraham specialiter Hebræus, & ab eo descendentes, maximè qui ipsius fidem & pietatem imitati sunt, Hebræi dicti fuerunt: unde & Deus Hebræorum vocatur Exodi cap. 3. ut sciret Pharao huic genti peculiarem esse Deum. Nonnulli Patrum volunt Hebræos nomen habere ab Abrahamo, qui postquam Euphraten trajecisset, עִבְרִי *Hebræus*, hoc est, μεάτης sive περάτης fuerit appellatus. Quam sententiam sequitur Josephus Scaliger. Moses quidem non antè appellavit Abram Hebræum, quàm is ex Mesopotamia, trajecto Euphrate, venit in terram Canaan: Tamen hinc non bene concluditur, ipsum non fuisse antea sic appellatum, & ex eo transitu demum fuisse hoc nomine insignitum. Plura legas apud Pererium, Commentariis ad Geneseos cap. 14. 13. Ipse quidem Heber à transitu nomen habuit, vel ad significandum, homines, dum hîc vivitur, esse in transitu, & vitam hanc esse transitoriam: vel fortassis quòd eo nato, aut in ejus ortu fluvium trajecerint; quo modo & Sala dictus putatur, quasi *missus* aut *mittendus* ad occupandam novam regionem. Inter omnes Patres qui post Diluvium fuerunt, diutissimè vixit Heber, nempe 464 annis. Et hujus filios possedisse totam illam Orbis partem, quæ ab Euphrate ad Oceanum usque Indicum protenditur, tradunt Josephus & B. Hieronymus. Duos Heberi filios nominat

nominat Moſes, Phaleg & Jectan, Gen. 10. 25. Filiorum Jectan, qui tredecim erant, habitatio fuiſſe dicitur de Meſſâ pergentibus uſque Sephar montem Orientalem.

A. M. 1757. *NOÆ* 701.

HEber annos triginta quatuor natus Phalegum genuit. Phaleg ſive Peleg indè nomen habuit, quia in diebus ejus diviſa eſt terra, ut legimus Gen. 10. 25. hoc eſt, quia diviſio terrarum & linguarum eo anno contigit, quo natus eſt hic Heberi filius. Judæi in Seder Olam tradunt, propheticè filio nomen id ab Hebero impoſitum, quia nimirum prævidebat futurum, ut diviſio linguarum contingeret in diebus ejus: ideóque eam diviſionem conferunt in annum, quo Phaleg mortuus eſt. Veriſimilius tamen eſt, linguarum diviſionem ſub tempus nativitatis Phaleg contigiſſe. Ità ſentiunt doctiſſimi Interpretes, Mercerus & Pererius. Nomen igitur Phaleg non ex futuro eventu fuit inditum, ſed ex eo quod jam factum & præteritum fuerat. Nam quia proximè poſt linguarum diviſionem factam Heber genuit filium ſuum primogenitum, idcirco ex re illa tam memorabili nomen impoſuit filio. Rectè itaque Flavius Joſephus, Antiq. lib. 1. Ἐκλήθη δὲ Φάλεγος, inquit, ἐπειδὴ κατὰ τὸν ἀπόδασμὸν τῆς οἰκήσεως ἔπεσεν· id eſt, *Dictus fuit Phaleg, quia natus dum habitationes diſtribuerentur*. Huic ἀποδασμῷ ſive Terrarum diſtributioni occaſionem dedit linguarum diverſitas, linguarum verò diviſioni Turris Babel extructio.

Hiſtoriam de ædificatione urbis atque turris Babel narrat Moſes Geneſeos cap. 11. ibíque declarat, quomodo hominum audaciam & ſuperbiam Deus punierit per confuſionem linguarum, & diſperſionem eorum in diverſas Mundi partes: cujus tam memorabilis rei perpetuum deinde indicium & monimentum manſit, ejus loci nomen *Babel*, ſignificans *confuſionem*. Ad ædificandam civitatem & turrim Babel convenerunt & conſpirârunt omnes homines, qui tunc in terris erant: omnes enim, ut docet Moſes, unius tunc linguæ erant, eodémque ſermone utebantur: híque omnes ab Oriente profecti, convenerunt in campum Sennaar. Cùm poſt Diluvium Arca Noæ reſederit in montibus Armeniæ, veriſimile admodum fit, in illis Armeniæ locis habitâſſe Noam ac filios ejus, & poſteros eorum per illos centum annos, qui poſt Diluvium

um fluxerunt ad ædificationem Turris. Ex hac igitur Armeniæ regione, quæ Orientalis dicitur ratione ipsius Babyloniæ, homines illi ὁμόγλωττοι profecti sunt. Jam enim per illos centum annos aucti numero & multiplicati, laxiorem & commodiorem desiderabant habitationem, cùm loca Armeniæ montosa, aspera & sterilia pertæsi essent. Potuit ipse Noë unus esse ex iis, qui profecti sunt ex Oriente: quanquam ipse alio animo, alióque consilio profectionem illam susceperit, quàm plerique alii. Illud certè nullo modo credendum est, fuisse Noam in iis qui ædificârunt turrim Babel: cùm tale illorum hominum studium, incœptum & conatum non obscurè improbet Scriptura, & à Deo punitum esse doceat. Fuisse autem Noachi filios principes & duces eorum, qui profecti ex Oriente venerunt in campum Sennaar, scribit Josephus, Antiquit. lib. 1. cap. 5. Non statim tamen ut in illum campum venerunt, turrim ædificare aggressi sunt, sed postquam aliquandiu in eo campo habitâssent. Ex his etenim Scripturæ verbis, *Invenerunt campum in terra Sennaar, & habitaverunt in eo,* apparet, eos homines tunc primùm invenisse loca campestria, & ad habitandum commoda propter fertilitatem & amœnitatem & aquarum copiam: quocirca ibi substitisse, &, constructis multifariam sparsis domiciliis, aliquandiu habitâsse: postea verò cogitâsse ac deliberâsse de munita civitate ædificanda. Postquam, inquam, aliquandiu in casis, sparsísque domiciliis habitaverant, incessit eos homines ambitiosa quædam & vesana cupido aggrediendi & perficiendi magna quædam opera, & in omne posteritatis ævum famosa; id est, amplissimam construendi civitatem, & mirandæ celsitudinis turrim excitandi. Hujus superbi consilii & incœpti princeps & autor fuit Nimrod Chami nepos, ut putat B. Augustinus. Verùm hac de re Josephum disserentem audiamus: Τοῦ Θεοῦ κελεύσαντος αὐτοὺς εἰς πολυανθρωπίαν στέλλειν ἀποικίας, ἵνα μὴ στασιάζοιεν πρὸς ἀλλήλους, ἀλλὰ γῆν πολλὴν γεωργοῦντες ἀφθονίας ἀπολάβοιεν τῶν καρπῶν, ὑπὸ ἀμαθίας παρήκουσαν τοῦ Θεοῦ, καὶ διὰ τοῦτο συμφοραῖς περιπεσόντες, ἤχθοντο τῆς ἁμαρτίας. ἐπεὶ γὰρ ἤνθουν νεότητος πλήθει, πάλιν ὁ Θεὸς αὐτοῖς συνεβούλευε ποιεῖσθαι τὴν ἀποικίαν. Οἱ δὲ, οὐ κατὰ τὴν εὐμένειαν τὴν ἐκείνου νομίζοντες ἔχειν τὰ ἀγαθὰ, τὴν δ' ἰσχὺν αὐτοῖς τὴν οἰκείαν αἰτίαν τῆς εὐπορίας ὑπολαμβάνοντες, οὐκ ἐπείθοντο. Προσετίθεσαν δὲ τῷ παρακούειν τῆς τοῦ Θεοῦ γνώμης, καὶ τὸ κατ' ἐπιβουλὴν ὑπονοεῖν εἰς ἀποικίαν αὐτοὺς παρορμᾶν, ἵνα διαιρεθέντες, εὐεπιχειρητότεροι γένοιντο. Ἐξῆρε δὲ αὐτοὺς πρός τε ὕβριν τοῦ Θεοῦ καὶ καταφρόνησιν Ναβρώδης. id est, *Cùm Deus jussisset, ut ad propagandum genus humanum Coloniæ deducerentur,*

nè

nè seditionibus laborarent, útque terram multam colentes, fructuum ubertatem perciperent; homines illi præ insciti Deo non paruerunt; quamobrem calamitatibus implicati offensum Deum errore suo sunt experti. Cùm enim florerent juventutis multitudine, Deus rursum de colonia deducenda admonebat. Illi verò obliti se ipsius benignitate præsentibus commodis perfrui, totámque illam felicitatem suis viribus acceptam ferentes, dicto ejus non fuerunt obedientes. Et, quod pejus erat, consilium de coloniis, non favorem Numinis, sed insidias interpretabantur; videlicet, quò facilius dispersi possent opprimi. Hanc autem superbiam Deíque contemptum excitavit in illis Nabrodes. Hæc ille. Dei autem mandatum de coloniis deducendis, per Noë hominibus illis denunciatum fuisse notat Pererius. Itaque cùm Noë illud mandatum hominibus non semel denunciâsset, ii optimis & utilissimis Dei jussis obtemperare noluerunt; quin potius omnem moverunt lapidem, quò simul omnes uno in loco essent, & nè invicem separarentur, obnixè contenderunt. Hinc illa verba, *Venite ædificemus nobis civitatem & turrim, cujus culmen pertingat ad cælum, & faciamus nobis nomen, nè fortè dispergamur super faciem universæ terræ.* Cujus cohortationis & incitationis principem atque ducem fuisse Nabrodem (is est Nemrod) affirmat Josephus.

Hujus superbiæ atque inobedientiæ pœna fuit, unius linguæ in multas divisio, & hinc orta confusio; de qua loquitur Moses, Genes. 11. 7, 8, 9. Justum profectò, conveniénsque culpæ supplicium. Nam quia dominatio imperantis in lingua est (ut notat August. de Civit. lib. 16. cap. 4.) ibi damnata est superbia, ut non intelligeretur jubens homini, qui noluit intelligere, ut obediret Deo jubenti. Sic illa conspiratio dissoluta est, cùm quisq; ab eo, quem non intelligebat, abscederet, nec se nisi cum quo loqui poterat, aggregaret. Itaque cùm homines unitate linguæ & unanimi omnium consensu abusi sint, ut contra Dei voluntatem ædificium illud extruerent, nè scilicet disjungerentur invicem & dissiparentur; Deus unitatem linguæ variæ discindens, ædificationem illius civitatis & turris, quam tanto illi studio conatúque susceperant, omittere coëgit: & cùm propter diversitatem linguæ inter se non intelligerent, invicem dissociari eos, & in varias terræ partes dispergi, necesse fuit. De hac confusione linguæ sic scribit Pererius: *Reputet secum Lector, diligentérque consideret, cùm tanta illa linguæ confusio hominibus illis accidit,*

qui animus eis, quæ mens, qui ſenſus fuerint. Credo equidem, cùm inter ſe cæperunt non intelligere, irâ primùm eos & indignatione eſſe affectos, quòd alii ſe derideri & illudi ab aliis putarent: Deinde ſimiles evaſiſſe amentibus atque furentibus puto: Verùm poſtea, cùm ſeriò rem agi cognoverunt, & ipſam, utì erat, compertam habuerunt, neque id aliter quàm Dei voluntate & poteſtate fieri potuiſſe intellexerunt, divinam ſuæ impietatis ac ſuperbiæ vindictam agnoſcentes, incredibili eos confuſione animi, & ſtupore ſimul ac pavore perculſos & obrutos eſſe, non eſt dubitandum. Quod autem legitur Gen. 11. 7. nullum eorum hominum intellexiſſe vocem proximi ſui, non de ſingulis hominibus accipiendum eſt, ſed de certa quadam multitudine hominum: Exempli causâ, Qui unius erant familiæ, propriam habuêre linguam, quâ inter ſe loquebantur & intelligebant: & quia pro diverſitate familiarum, etiam linguarum diverſitas extitit; hinc factum eſt, ut quot tunc erant hominum familiæ, totidem eſſent linguæ: & qui ejuſdem erant familiæ, quoniam invicem quæ loquebantur, intelligebant, inter ſe congregati & conſociati ſunt: quoniam verò cæterorum linguas non intelligebant, idcirco ab aliis familiis omnibus diſſociari eos & ſeparatim vivere neceſſe fuit. Hoc videtur elici poſſe ex iis, quæ per anticipationem ſcripſit Moſes Gen. cap. 10. 5, 20, 31. Ex illa, inquam, narratione apparet, pro varietate familiarum & cognationum, varias quoque fuiſſe linguas, diverſaſque gentes & nationes extitiſſe. Hanc diverſitatem linguarum induxit Deus, ut homines illi ſegregari invicem cogerentur, & in varias terræ partes diſpergi, quò totus orbis terrarum, habitatoribus cultoribúſq; completus, cultior & ornatior fieret. Is nempe fuit iſtius confuſionis & multiplicationis linguarum effectus ſimul & finis. Namque ad eum finem Deus unam illam linguam, quâ omnes utebantur, confudit, invectâ aliarum complurium linguarum varietate; ut, quia genus humanum majorem in modum jam fuerat propagatum, vel inviti homines illi ſegregarentur invicem ac variè diſpergerentur. Talis enim ſeparatio & diſperſio perquam utilis futura erat humano generi: Primò quidem, propter cibi & victûs commoditatem, & abundantiam: neque enim una aliqua regio ſufficientem tantæ hominum multitudini, & quidem indies magis ac magis creſcenti ſuppeditare victum potuiſſet. Deinde, ſi omne genus hominum uno in loco fuiſſet, exorto inter ipſos bello, vel graviſſimâ peſte,

alióve exitiali morbo, facile fuisset, ut omnes communi clade interirent. Adde, quòd societas improborum atque impiorum hominum, qualis erat Nemrod, sensim quasi contagiosus morbus serpens, etiam bonos inficit atque corrumpit. Ob has igitur causas utilissimum generi humano erat, ut in diversa & longinqua terræ loca dissiparentur, & dissitarum inter se regionum habitatores & cultores essent.

Factâ linguarum divisione, quisque cum suis eâdem linguâ loquentibus diversum terræ locum petiit. Moses decimo capite Geneseos numerosam progeniem filiorum Noë describit: nec tamen omnes eorum posteros, sed eos tantùm, qui velut capita & principes fuêre aliquarum gentium, breviter commemorat; ut hinc vera gentium, regnorum, ac nationum primordia cognoscantur. Vult enim ostendere, quemadmodum in exordio Mundi ex uno Adamo genus omne hominum propagatum est usque ad Diluvium; sic post Diluvium, quasi novo rursus Mundi principio, ex tribus filiis Noë omnem terram habitatoribus & cultoribus esse completam, & quæcunque (ad Mosis usque tempora) fuerant gentes ac nationes, indè omnes primam traxisse originem. Epiphanius in Ancorato, Mundi divisionem à Noë factam describit, eúmque à filiis suis jusjurandum exegisse ait, ut cultum veri Dei retinerent, & inter se concordiam ac benevolentiam custodirent: cúmque is Mundi hæres à Deo constitutus esset, διαμερίζει μὲν τοῖς τρισὶν ἱμοῖς αὐτοῦ τὸν πάντα κόσμον ὑπὸ κλήρους διελὼν, καὶ ἑκάστην μερίδα κατὰ κλῆρον ἑκάστῳ ἀπονέμων. id est, *Totum mundum* (quasi hæreditariam possessionem) *Noë tribus filiis suis distribuit, jactis sortibus, ut quisque eam partem terræ, quæ sorte obtigisset, habitandam & colendam susciperet.* Josephus Antiq. lib. 1. cap. 6. Σκίδνανται δὴ τὸ λοιπὸν ἐντεῦθεν, inquit, ὑπὸ τῆς ἀλλογλωσσίας, τὰς ἀποικίας ποιησάμενοι πανταχοῦ, καὶ γῆν ἕκαστος κατελάμβανον τὴν ἐντυγχάνουσαν, καὶ εἰς ἣν αὐτοὺς ἦγεν ὁ Θεός· ὡς πληρωθῆναι πᾶσαν αὐτῶν ἤπειρον μεσόγαιόν τε καὶ παράλιον. εἰσὶ δὲ οἱ καὶ περαιωσάμενοι ναυσὶ τὰς νήσους κατῴκησαν. hoc est, *Dispersi sunt indè ex illo tempore passim, propter diversitatem linguarum coloniis nusquam non deductis, & quo quenque sors & Deus tulit, eam terram cum suis occupavit, ut tam maritima quàm mediterranea incolis replerentur: nec defuerunt qui conscensis navibus ad insulas habitandas trajicerent.* Idem Josephus & Christiani scriptores eum secuti, volunt, filios Japhet à Tauro & Amano Ciliciæ & Cœles Syriæ

montibus omnia ad Tanaim usque fluvium occupâsse in Asia, & à Tanai usque ad Gaditanum fretum in Europa, videlicet, totam Europam, & magnam Asiæ partem; Chami verò filiis totam Africam, & partem Asiæ; Semi posteris reliquas Asiæ regiones ab Euphrate usque ad Indicum Oceanum, cessisse.

Japheti filios septem, & nepotes totidem commemorat Moses. Primus Japheti filius nominatur Gomer; cujus posteros Gallos fuisse, ait Josephus: Τοὺς μὲν γὰρ νῦν ὑφ' Ἑλλήνων Γαλάτας καλουμένους, Γομαρεῖς δὲ πάλαι λεγομένους, Γομαρὸς ἔκτισεν. id est, *Quos nunc Græci Galatas vocant, Gomarenses olim dictos, Gomer condidit.* Hanc Josephi sententiam probat Guilielmus Camdenus, præceptor quondam meus, ubi agit de primis Britanniæ incolis: *Gomerus Japheti filius natu maximus*, inquit, *Gomeris, qui postea Cimbri & Cimerii dicti in his ultimis Europæ finibus, & originem dedit, & nomen imposuit. Cimbrorum enim sive Cimeriorum nomen hanc orbis partem quodammodo opplevit, nec solùm in Germania, sed etiam in Gallia latissimè patuit. Ab his Gomaris sive Gomeris Britannos nostros originem deduxisse, & nomen in originis argumentum detulisse semper existimavi: ipsúmque proprium & peculiare Britannorum nomen, idem persuasit. Ipsi enim se Kumero, Cymro, & Kumeri, appellitant... Unde quæso hæc nomina profluxisse existimemus, quàm à Gomero illo, & Gomeris in proxima Gallia, quæ priscorum Gomerorum sedes?* 2. Alter Japheti filius est Magog; cujus posteros fuisse Scythas tradit Josephus, & post eum B. Hieronymus, aliique non pauci scriptores. 3. Tertius Japheti filius appellatur Madai, à quo Medos populos in Asia Majore celebres originem duxisse plerique autores consentiunt. Etenim Reges Madai, quorum fit mentio in Sacra Scriptura, Medorum reges esse constat. Itaque Madai sine dubio dedit Mediæ nomen, inquit Mercerus. 4. Quartus Japheti filius est Javan, à quo Iones orti sunt, satores parentésque Græcorum. Hinc in Sacris Bibliis Græcia vocatur *Javan*, & Rex Græcorum, *Rex Javan*. Hoc nomen Græcis Ἰων effertur. De Ione Xuthi filio (à quo Athenienses antiquitus Ionas se dictos esse putabant) plura dicturi sumus ad Annum Mundi 2588. 5. Quintus Japheti filius nominatur Tubal, Josepho Thobelus. Hic in Hesperiam, id est, in Italiam & Hispaniam, venisse creditur. Hunc Hebræi scriptores Italorum, Josephus & alii Hispanorum sive Iberorum auctorem esse volunt. 6. Sextus Japheti filius

filius recenſetur Meſech, qui Moſchos & Moſchovitas procreâſſe exiſtimatur. Joſephus autem ab eo deducit Cappadocas; quorum urbs primaria olim Mazaca dicta fuit. Meſech & Tubal apud Ezechielem junguntur: quamobrem Tubalis poſteros fuiſſe Albanos cum Iberis Aſiaticis, nonnulli arbitrantur. 7. Septimus Japheti filius appellatur Thiras; à quo Thraces orti putantur, ut ait Joſephus.

Japheti nepotes ſeptem commemorat Moſes; tres ſcilicet Gomeri, & quatuor Javanis filios. Primus filiorum Gomer eſt Aſcenaz; qui parens putatur illius gentis, quam propheta Jeremias cap. 51. 27. cum Medis adverſus Babylonios ſocia arma laturam prædixit. Minoris Aſiæ populos ibi deſignari, non eſt dubium. Fuit enim Aſcenaz (ut notat Junius) incola Ponti & Bithyniæ, ubi lacus & fluvius eſt Aſcanius, ab hoc denominatus. 2. Alter Gomeri filius nominatur Riphat, qui Paphlagonum auctor fuit, ut tradit Joſephus. Alii Rhiphæos ab hoc dictos opinantur. 3. Tertius Gomeri filius appellatur Togarma ſive Thogorma; à quo Phryges duxerunt originem, ut Joſepho placet. Chaldæus Interpres apud Ezechielem cap. 27. Thogorma expoſuit Germaniam. Judæi hodie Germanos vocant Aſcenaz, & Turcas Togarma. Armeniæ Minoris populos ab hoc Togarma proſeminatos putat Franciſcus Junius, factâ ex Tigranis nomine conjecturâ. Quamvis autem Gomerus cum ſuis filiis Aſiam Minorem primò occupaverit; poſteros ejus ulteriùs progreſſos eſſe, & magnam Europæ partem inſediſſe, credibile eſt. 4. Eliſa primus Javani filius Græcos, qui Æoles dicti ſunt, videtur procreâſſe; quod & Joſephus tradidit. Elis Peloponneſi regio non aliunde nomen habuit, ut notat Mercerus. Non eſt improbabile, inquit Pererius, Eliſam & poſteros ejus pernavigâſſe totum mare Græcum, & inſulas ejus inhabitâſſe; nec ſolùm inſulas aut loca ejus maris, ſed etiam cæteri maris mediterranei. Inſulas Eliſæ, purpurâ celebratas memorat propheta Ezechiel cap. 27. 5. Alter Javani filius nominatur Tarſis. Ab hoc ortos eſſe Ciliciæ incolas non vanè creditur; cujus metropolis olim toto orbe inclyta, priſco retento vocabulo, dicta eſt Tarſus, ſuper omnia ortu Beati Pauli nobilitata. Hoc igitur vocabulum Tarſis ſive Tharſis, in Sacra Scriptura ſæpe uſurpatum, primò ac propriè ſignificat Ciliciam, & mare Cilicum prætentum Phœniciæ

& Syriæ: indè traductum est ad significandum omne Mare illud Mediterraneum, & loca ejus maritima. Cùm autem Mare Mediterraneum à Judæis diceretur Mare magnum, & naves magnæ, quę in eo mari navigabant, appellarentur naves Tharsis; hinc factum est, ut id nominis etiam ad Oceanum ipsum denotandum transferatur, 1. Reg. 10. 22. & 2. Paralip. 9. 21. & 1. Reg. 22. 48. 6. Tertius Javani filius est Cethim, sive Cittim, qui insulam Cyprum obtinuisse putatur: sed & quædam Ciliciæ loca maritima ab hujus posteris inhabitata fuisse, probabile est. Cittim in Cypro insula suas posuisse sedes probat Josephus ex eo, quòd urbs ejus insulæ Citium vocetur. Hinc oriundus Zeno Stoicus philosophus, Κιτιεὺς, id est, *Cittiensis* dictus est. Qui à Cittim Javani filio descenderunt, Græcis Κίτιοι, & Κίτιεοι, & Κιτιεῖς, & Κιτιαῖοι nuncupantur. Apud Homerum Κίτιεοι memorantur Odysseæ undecimo, qui sub Eurypylo Telephi filio militabant. Eurypyli regnum circa loca vicina Caïco fuisse, notat Strabo, ὡς᾽ ἴσως καὶ τῶν Κιλίκων μέρος τι ἦν ὑπ᾽ αὐτῷ, *ut fortasse aliqua etiam Cilicum pars ei paruerit.* Cetidis in Cilicia regionis meminit Ptolemæus. Cetios in Italiam sub rege Latino ductos fuisse, ex Suida cognoscimus: Latinus Herculis filius, inquit, μετωνόμασε τὸς πάλαι Κητίους λεγομένους υἱῶ Λατίνους. In parabola Balaami Num. 24. vocabulo *Cittim* Italiam significari putavit vetus interpres Latinus: & Chaldæus ibi interpretatus est, *Romanos.* Similiter Danielis cap. 11. Latina versio habet, *Venient super eum trieres, & Romani:* ubi Hebraicè est, *naves Cittim.* Eadem vox Macedonas significat, initio prioris libri Maccabæorum: Ibi enim Alexander Macedo exisse de terra Cittim dicitur. Et ejusdem libri cap. 8. Philippus & Perses ultimi reges Macedonum, Κιτίων βασιλεῖς vocantur. Est quidem Citium Macedoniæ quoque oppidum, apud Livium lib. 42. ut è Cypro coloniam eò deductam fuisse appareat. Quinetiam Macedones antiquitus Μακέται appellati sunt, ut docet Stephanus: quo vocabulo usi sunt Gratius, & Ausonius. Hinc apud Hesychium, Μακεττία, ἡ Μακεδονία. Dictus autem videtur *Macetes* quasi *Micittim*, id est, à Cittim ortus, vel è Cittim profectus. Sunt tamen qui censeant, Macedonas (sive Græcos) & Romanos de Cittim venturos prædici, hoc est, ex insulis Maris Mediterranei, juxta vulgi opinionem. Judæi enim nomine *Cittim* non solam Cyprum, sed quasvis insulas intelligebant: quinetiam omnes Europæ

ropæ regiones ab Phœnicia & Syria discretas & mari dissitas, Hebræi Insulas Gentium appellabant. 7. Quartus Javani filius nominatur Dodanim. Hujus posteros in Epiro sedes habuisse quidam opinantur, ibique Dodonam urbem condidisse, Jovis templo & oraculo inclytam. Græci Interpretes hanc vocem interpretati sunt, *Rhodios:* unde conjecturam faciunt nonnulli, legendum esse *Rodanim.* Proclivis erat lapsus unius literæ in alteram, propter maximam similitudinem quæ est inter duas literas, ר & ד. Ab his Javani filiis Insulas Gentium, id est, Maris Mediterranei Insulas occupatas fuisse legimus Gen. cap. 10. 5. Hinc igitur apparet, Europam totam, magnámque partem Asiæ, Japheto & posteris ejus fuisse attributam; siquidem verum est, omnes Scytharum gentes à Japheto esse oriundas: omnes inquam populos Septentrionales, qui Σκύθαι & Κιμμερίοι priscis Græcorum scriptoribus nominati fuerunt. Tartaros enim sive Totaros Scytharum Nomadum numero habendos censet doctissimus Fullerus Miscell. lib. 2. cap. 4. idémque Indiam Occidentalem ab Scythis primùm habitatam fuisse, admodum probabiliter disputat.

Chami filios quatuor recenset Moses. Primus Chami filius nominatur Chus: à quo dicti Chusæi sive Chusitæ, quo nomine Josephus & B. Hieronymus Æthiopas Orientales intelligunt, ut notat Pererius. Chusi filios sex commemorat Moses, & nepotes duos. Primus filiorum Chus, appellatur Saba: qui originem & nomen dedit Sabæis, Felicem Arabiam incolentibus. Apud Esaiam cap. 43, & 45, Chus & Saba junguntur, ut qui vicinas sedes habuerint; Chus quidem ad Isthmum, quo mare Syriacum & Ægyptiacum summovetur à Sinu Arabico, sive à Mari Rubro; Saba autem ad ipsum Arabicum Sinum. Plinius scribit, Sabæos ad utraque maria porrectis gentibus habitare. Quod intelligitur de Mari Rubro, & de Sinu Persico. Duæ enim sunt gentes Sabæorum. Sabæi, qui à Chusi filio Saba orti sunt, ad Sinum Arabicum habitârunt: Sabęi verò, qui à Saba sive Scheba Regmæ filio genus duxêre, ad Persicum Sinum magis vergebant. Utramque gentem simul ponit Psaltes, Psalmo 72. *Reges Scheba & Saba dona adducent.* Hinc colligitur, hos habuisse sedes contiguas. Esaias cap. 45. *Misraim & Chus & Saba tanquam vicinas gentes jungit,* id est, Ægyptios, Arabas seu Æthiopas Orientales, atque Sabæos.

Alter

Alter Chusi filius nominatur Havila vel Hevila. Hujus posteros fuisse populos non longè remotos ab Ismaëlitis & Amalecitis, videtur colligi posse ex Gen. 25. 18. & 1. Sam. 15. 7. B. Hieronymus Josephum secutus, Hevilæos facit Getulos in interiori Africa. Tertius Chusi filius appellatur Sabta vel Sabatha. In Arabia Felici metropolis Sabatha vel Saubotha Ptolemæo & Arriano memoratur: unde conjici potest, hujus posteros fuisse illius regionis incolas, scilicet permixtos cum Chusæis & Sabæis. Quarto Chusi filio nomen est Regma vel Raama. Et quoniam apud Ezechielem cap. 27. 22. Regmæi unà cum Sabęis aurum, lapides pretiosos, & aromata ad Tyriorum mercatum deferunt, eandem aut certè vicinam regionem videntur coluisse. Regma igitur Junio putatur auctor populorum in Arabia Felice ad Sinum Persicum, ubi Ptolemæus Regamam ponit. Duos Regmæ filios nominat Moses: quorum alter, Scheba scilicet, eam Arabiæ Felicis partem tenuit, quæ ad Persicum Sinum vergit, ut diximus. Hæc Sabæa, respectu Judææ, Australis est: ideóque Regina hujus regionis, quæ aromata & aurum ad Salomonem detulit, *Regina Austri* vocatur. Etsi autem hi Sabæi ditissimi erant, nihilominus tamen latrociniis delectabantur, ut ex libro Job discimus. Alter Regmæ filius est Dedan. Dedanæos Tyriorum mercatum frequentâsse, & tapetia illùc ad sedendum comportâsse, discas ex Ezech. 27. 20. Hos autem Idumæis vicinos & conjunctos fuisse colligitur ex Jeremiæ cap. 49. 8. & Ezech. 25. 13. Quintus Chusi filius nominatur Sabteca vel Sabatheca: cujus posteros in extremas Arabiæ Felicis oras Oceanum versus recessisse credibile est, inquit Pererius, atque ob eam causam nec Judæis nec Syris fuisse notos. Sextus Chusi filius est Nemrod. Is audaciâ, robore, & potentiâ maximè insignis fuit, primúsque mortalium regnum vel tyrannidem potiùs affectavit, & condendæ Babylonis Babyloniique regni princeps fuit, ut ex historia Mosaica discimus: *Fuit principium regni ejus Babel, & Arach & Achad & Calne in terra Sennaar*, Gen. 10. 10. Igitur Nemrod à principio regnare cœpit Babylone: postea regno suo alias urbes adjecit. Arach sive Erec est Edessa vetus ad Euphratem, unde Arectæi campi apud Tibullum lib. 4. & Ἀρακτικὰ πεδία, quæ mendosè Ἀλαμανικὰ vocatur Straboni lib. 16. ut observat Scaliger. Achad sive Accad postea Nisibis dicta est; unde Acadene Mesopotamiæ pars, quæ

quæ apud Ptolemæum Acabene dicitur. Calne seu Chalanne est urbs, cujus mentio in prophetia Amos, cap. 6. 2. & Esaiæ 10. 9. ubi tamen Calno legitur, vel Chalanno. Septuaginta locum Esaię vertunt, Οὐκ ἔλαβον τὴν χώραν τὴν ἐπάνω Βαβυλῶνος καὶ Χαλάνης, ἕως ὁ πύργος ὠκοδομήθη; id est, *Nónne cepi regionem quæ est supra Babylonem & Chalanen, ubi turris ædificata est?* Ibi B. Hieronymus, *Turris ædificata est in campo Sennaar, in quo erant Arphad & Chalanno & Babylon, quæ ex confusione linguarum nomen accepit.* Eusebius de Locis Hebraicis: *Chalanne, civitas regni Nemrod in Babylone: cujus & Esaias meminit, dicens, Et Chalanne, ubi turris ædificata est.* Pro Chalanne, Cteſiphon legitur in Paraphrasi Chaldaica Jonathæ Gen. 10. 10. teste Drusio. B. Hieronymus in quæstionibus Hebraicis: *Chalanne, quæ postea verso nomine à Seleuco rege est dicta Seleucia, vel certè quæ nunc* Κτησιφὼν *appellatur.* Urbem Seleuciam condidit Seleucus Nicator, ut Babylonem exhauriret, id est, ut Babylonis opes & cives in Seleuciam paulatim transferrentur. Itáque vicinitate Seleuciæ exhaustâ Babylon in solitudinem rediit. Postea Parthi ad Seleuciam invicem exhauriendam, Cteſiphontem in Chalonitide condiderunt, ut docet Plinius lib. 6. cap. 26. Franciscus Ribera legendum monet, in Chalanitide. Ità enim dicta est regio, inquit, ab urbe Chalanne. Supra Babylonem ad Septentrionem Χαλωνῖται collocantur in Periegesi Dionysii: Calonitis, Assyriæ provincia est, apud Polybium libro sexto, & apud Strabonem lib. 16. Turris Babylonica Gregorio Nazianzeno appellatur ὁ Χαλάνης πύργος, ὃς καλῶς τὰς γλώσσας ἐμίεσεν, hoc est, *Chalannæ Turris, quæ linguas pulchrè divisit.* Terra Sennaar sive Sinhar, ut annotavit Junius, fuit inferior Mesopotamiæ pars, monti Singaræ subjacens. In Mesopotamia Singaram montem, & Singaram urbem ponit Ptolemæus: unde Singarena regio dicta est. De Nemrodo plura infrà, ad Annum Mundi 1786.

Secundus Chami filius vocatur Mizraim, qui primus terræ Ægypti habitator & cultor fuit, satórque Ægyptiorum: unde & in Sacra Scriptura hoc nomen Mizraim seu Mesraim passim denotat ipsam Ægyptum; hujúsque regionis incola, Mesri appellatur. Mesraim autem genuit Ludim, sive Ludæos, quorum fit mentio Jerem. 46. 9. & Ezech. 30. 5. Videntur populi fuisse Africani, Ægyptiorum socii ac finitimi. Anamim inter posteros Mesraim secundo

loco recenſentur: Hi ſunt (juxta Targhum Jeroſolymitanum) Pentapolitæ, qui Cyrenaicam incoluerunt. Lehabim, qui tertio loco nominantur, apertè ſunt Libyes. Ab inflammatione ſic dicti ſunt, ut ait Mercerus, quòd, cùm ad Zonam torridam accedant, fervoris indicia in vultu eorum appareant. Naphtuchim, quos Moſes quarto loco nominat, putantur eſſe Napatæi. Æthiopiæ ſub Ægypto urbs Napata, Candaces regia fuit. Meminit Strabo lib. 17. Inverſis literis Tanape legitur apud Dionem lib. 54. Stephano Νάπατα, πόλις Λιβύης dicitur, πρὸς τῇ Αἰθιοπίᾳ. Pathruſim ſive Pethruſim quinto loco ponuntur. Petrææ Arabiæ incolas quidam intelligunt, alii Pharuſios. Terra Pathros memoratur Eſaiæ cap. 11. Jerem. 44. & Ezech. 29. Caſſuchim, Caſſiotidis incolas fuiſſe, nonnulli opinantur. Sequentia Moſis verba ſic reddit Junius, *Et, unde egreſſi ſunt Peliſthæi, Caphtoræos.* Vult enim ἐξῆλθον ibi eſſe verborum, ſive ἐξεγενήθησαν quia non ex Caſſuchæis, ſed ex Caphtoræis exierunt, id eſt, originem traxerunt Philiſthæi. Caphtorim putantur incoluiſſe Sethrum Ægypti urbem, & nomon Sethroïten. Quos autem Moſes hoc loco Gen. 10. 14. appellavit Caphtorim, eos Interpres Græcus & Latinus alibi appellant Cappadocas, & Caphtor Cappadociam. Gentem potiùs Africanam, vel certè Ægypto & Palæſtinæ vicinam intelligit Moſes tum hîc, tum Deuteronomii cap. 2. 23. Ibi enim ait, Hevæos, qui habitabant in Haſerim uſque ad Gazam, à Caphtoreis (hoc eſt à Philiſthæis, qui de Caphtor egreſſi ſunt) eliminatos fuiſſe. Caphtorim verò gentiles eſſe Philiſtinorum, docemur ex prophetia Amos, cap. 9. 7. ubi dicuntur Philiſthæi è Caphtore aſcendiſſe. Et Jerem. cap. 47. 4. Philiſthæos vocat reliquias regionis Caphtor. Hactenus de poſteris Meſraim, à quo prima Ægyptiorum origo petenda eſt. Quamvis autem & regio & gens illa de nomine ſui conditoris ferè appelletur Meſraim; tamen eadem regio non ſemel in ſacris literis vocatur etiam Terra Cham, ut videre licet in Pſal. 78, 105, & 106. quòd ibi præcipua fortaſſe Chami ipſius fuerit ſedes.

Tertius Chami filius appellatur Phut. Hic Libyæ colonos dedit, qui de nomine ejus Φοῦτοι, ut ſcribit Joſephus, dicti fuerunt: Ἔστι δὲ καὶ ποταμὸς ἐν τῇ Μαύρων χώρᾳ, τοῦτο ἔχων τὸ ὄνομα. ὅθεν καὶ τοὺς πλείστους τῶν Ἑλληνικῶν ἱστοριογράφων ἔστιν ἰδεῖν μεμνημένους τοῦ ποταμοῦ καὶ τῆς παραπεμφθείσης αὐτῷ χώρας, Φούτης λεγομένης, inquit idem Autor. hoc eſt, *Extat & flumen in Mauritania*

ritania hoc nomine: & complures apud Græcos historiographi, ejus mentionem faciunt, sicut adjacentis etiam regionis, quæ Phute dicitur. Fluminis Phut sive Phuth in Mauritania Tingitana, meminêre Plinius & Ptolemæus: neque aliunde nomen sumpsit Putea, Africæ Propriæ urbs, apud eundem Ptolemæum. In Prophetarum scriptis, Phut & Lud inter populos Ægyptiorum socios atque vicinos nominantur, Jerem. 46. & Ezech. 30. Libyas hoc nomine denotari, non est dubium.

Quartus Chami filius est Chanaan, cui Noë pro scelere patris sui maledixit. Ab hoc ea regio quam pòst insederunt Israëlitæ, appellata est Chananæa. Vetustissimus scriptor Sanchuniathon, Chanaanis meminerat. Is enim est, qui dicitur Χνᾶν vel Χνᾶς ὁ πρῶτος μετονομασθεὶς Φοῖνιξ. Hinc apud Stephanum, Χνᾶ, ἡ Φοινίκη· & Χναῖος, Chananæus. Chanaanis posteros, sive populos ex stirpe Chanaan generatos undecim commemorat Moses. Primogenitus Chanaanis filius nominatur Sidon, ὃς καὶ πόλιν ἐπώνυμον ἔκτισε ἐν Φοινίκῃ, *qui & urbem sibi cognominem condidit in Phœnice*, ut ait Josephus. Hinc igitur orti sunt Sidonii. Justinus Trogi breviator Sidonem urbem à Phœnicibus ità dictam tradit, ob maximam copiam piscium. Illorum certè linguâ *Sid* vel *Said* piscatorem significat; & urbem eam hodie Said nominari à vulgo, refert Masius: antiquior tamen & quidem prima ejus appellationis origo repetenda est à Sidone primogenito ipsius Chanaan. Sidonem cognomento *Magnam* appellat Scriptura, Josuë cap. 11. 8. & 19. 28. ob veterem ejus urbis celebritatem & gloriam. Semper enim cùm artificum industriâ, tum portûs maximâ commoditate fuit celebrata. Nam Sidonios ipse Homerus πολυσιδωνίους, id est, πολυτέχνους, dixit: Et usque eò claruit Sidon, ut jam olim dubitatum sit, ipsâne an Tyrus pro Phœniciæ metropoli sit habenda. Sed quia Esaias cap. 23. 12. Tyrum nominavit filiam Sidonis, concedi palmam antiquitatis Sidoni necesse est: A Sidoniis enim Tyrus condita est. Quoniam verò Sidon metropolis erat olim Phœniciæ florentissima, hinc factum, ut illa gens universa nonnunquam Sidoniorum nomine vocata sit. Hesychius: Σιδόνιοι, Φοίνικες. Apud Bibliorum quidem Interpretes Deut. 3. 9. pro Sidonim, Φοίνικες, & Esaiæ 23. 2. pro Sidon, Φοινίκη redditur. Tota nimirum illa Phœniciæ ora, Sidoniorum olim nomine, non Tyriorum, celebris erat: quam etiam ob causam Ho-

merus Sidonios sæpe laudat, Tyri nè meminit quidem. Alter Chanaanis filius appellatur Heth sive Chet: à quo Hethæi (οἱ Χετταῖοι) orti sunt; quorum fit mentio in historia emptæ speluncæ, quam sibi in sepulcretum comparavit Abraham, Gen. 23. Fuisse autem Hethæos giganteâ mole ac robore, & bellicæ fortitudinis famâ celebres, colligi potest ex 2. Reg. 7. 6. De hac igitur gente nominatim expugnanda, singularem Deus mentionem fecit, initio libri Josuë. Namq; de Hethæis superandis magis quàm de aliis gentibus ejus regionis diffidere poterant Israëlitę, quòd in ea gente Enacinos, giganteâ mole homines, conspexerant speculatores Mosis; unde populum pavore perculsum legimus, Num. c. 13. Porrò, inter posteros Chanaanis enumerantur Jebusæi, Amorrhæi, Hevæi, &c. Jebusæi urbem Jerusalem tenuisse videntur ad principatum usque Davidis; qui, Jebusæis indè ejectis, civitatem illam regni sui sedem statuit. Vide 2. Sam. 5. 6. Robustos fuisse Jebusæos, & bellicosos, manifestum fit ex Josuë 15. 63. ubi legimus, Jebusæos incolas civitatis Jerusalem ab Israëlitis non potuisse planè debellari & deleri. Manserunt ergò Jebusæi usque ad imperium Solomonis, qui eos tributarios fecit, 2. Paralip. 8. 7, 8. Urbs, quam Jebusæi habitabant, ab ipsis Jebus nominata fuit, ut vult Latinus Interpres, Josuë cap. 18. 28. Ibi autem non *Jebus*, sed *Jebusi* legitur: quod incolarum, non urbis nomen est, ut observat Masius. Amorrhæi dispersim & confusè universam Cananæam habitâsse videntur: ideóque Amorrhæorum appellatio ad quosvis ejus regionis incolas nonnunquam accommodatur. Fuisse porrò ipsos Amorrhæos præ cæteris impios & sceleratos, licet conjicere ex verbis Ezechielis cap. 16. quibus ille Judæorum improbitatem exaggerat: *Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Chettæa.* Enormem autem Amorrhæorum proceritatem & robur corporis Amos propheta satis declarat, cap. 2. vers. 9. Gergesæi putantur esse, quos Matthæus Evangelista cap. 8. 28. Γεργεσηνοὺς appellat. Horum fit mentio etiam Gen. 15. 21. Josuë 3. 10. Nehem. 9. 8. Hevæi ubi habitaverint, significat liber Josuë, cap. 11. 3, 19. & Jud. 3. 3. Pro Hevæis autem nominantur Rephaim Gen. 15. 20. Hevæos sedibus suis fuisse expulsos à Caphtoræis docet ipse Moses Deut. 2. 23. Ibi enim proditum est, Hevæos, qui Chanaanis posteri sunt, olim habitavisse in villis usque ad Gazam, sed à posteris Mesraim, qui Caphtorim vocantur, eliminatos fuisse;

fuisse; & eas sedes deinde à Caphtoræis & Philisthæis esse occupatas. Philisthæi enim, qui sunt Caphtoræorum gentiles, postea quinque illas urbes, Gazam, Azotum, Ascalonem, Geth, & Accaronem tenuerunt. Reliquias tamen Hevæorum mansisse usque ad tempora Josuę, quinetiam usque ad principatum Solomonis, perspicuum est ex Jos. 13. 3. & 2. Paralip. 8. 7. Arcæi vel Aracæi in Phœnicia ad radices Libani habitârunt, ibique urbem Arcen sive Arcas condiderunt, ut ait B. Hieronymus. Sinæi putantur loca monti Sinai vicina tenuisse. Junius notat, hos Sinęos Caparorsam urbem incoluisse, quam Ptolemæus in Idumæa collocat. Ab his diversi sunt Sinæi, quorum mentio habetur Gen. 15. 19. Arvadęi, quos Latinus Interpres Aradios vocat, Aradum insulam possederunt angusto freto à Phœnices littore separatam. Horum meminit propheta Ezechiel cap. 27. 11. Samaræi putantur incoluisse urbem Semaraim, cujus mentio Jos. 18. 22. vel juxta montem qui eodem nomine appellatus est, 2. Paralip. 13. 4. Edessæ urbis incolas fuisse vult B. Hieronymus. Hamathæi videntur nomen dedisse urbi & regioni Hamath sive Hemath, quæ & sine aspiratione Emath vocatur. Hujus civitatis perfrequens in sacris literis fit mentio. In prophetia Amos, cap. 6. 2. *Emath Magna* dicitur: *Pertransite indè in Emath Rabba.* Ad eum locum B. Hieronymus sic scribit, *Hæc civitas nunc Antiochia nominatur. Eam verò Rabba, id est, Magnam vocat, ad distinctionem minoris Emath, quæ appellatur Epiphania.* Pherezęi, quorum meminit Moses Gen. 15. Exod. 23. & alibi, existimantur iidem esse, qui alio nomine Samaræi appellantur. Ità quidem Pererius, qui à Samaræis regionem Samariæ primùm habitatam & nominatam esse dicit. Sed fallitur. Nam Samaria à Somero denominata est, ut patet ex 1. Reg. 16. 24. Et per literam ע scribitur hoc nomen, cùm Samaræi & Semaraim per ס scribatur. Tamen Pherezæos circa Samariam habitâsse non negaverim. Andreas Masius hoc affirmat, commentariis ad Josuë cap. 11. 3. *Pherezæos*, inquit, *habitavisse circa Samariam, certum est: quæ loca, etsi non planè aspera, at certè montosa esse constat.* Idem Masius ad Jos. 17. 15. *Pherezæi hominum genus erat agreste, procul ab urbibus degens.* Istarum omnium, quas recensuimus, gentium parens & auctor fuerat Chanaan Chami filius famosissimus: peculiariter tamen Chananæi vocati sunt, qui oram maritimam, quæ

etiam est Phœnicia dicta, habuerunt. Id colligitur ex speculatorum Mosis relatione, cùm dicunt, *Chananæus habitat juxta mare*, Num. 13. 29.

Semi filios quinque commemorat Moses. Primus Semi filius nominatur Elam, à quo Elamitæ orti sunt, id est, principes Persidis. Persas hoc nomine denotari constat ex Esaiæ cap. 21. 2. multisque aliis Prophetarum locis. Elam Josepho Ἔλυμος effertur, qui posteros reliquit Ἐλυμαίους Περσῶν ὄντας ἀρχηγέτας, id est, Elymæos, à quibus Persæ originem traxerunt. Ab Elamitis igitur oriundi sunt Persæ: & ipse Paras (qui Persis nomen dedit) ab hoc Elam descendit, ut notat Mercerus. Elamitarum tamen nomen posterioribus seculis obscurârunt Persæ. Apud Danielem cap. 8. legimus, Susan (quæ fuit Persarum regia) fuisse olim in regione Elam. Quo manifestum fit, olim sub Elamitarum ditione fuisse Persas. Hinc Ἐλυμαῖοι apud Strabonem, quos ille circa Susianam Persidis collocat: & apud Stephanum, Ἐλύμαι, χώρα Ἀσσυρίων πρὸς τῇ Περσικῇ τῆς Σουσίδος ἐγγύς· οἱ ἐγχώριοι, Ἐλυμαῖοι. id est, *Elymæ, regio Assyriorum juxta Persiam, prope Susidem.* Elymais Plinio tractus Persiæ est, inter Sinum Persicum & Mediam: & Elymais civitas in Perside memoratur 1. Macc. cap. 6. Alter Semi filius appellatur Assur, qui Assyriorum est parens, & regioni Assyriæ nomen dedit, ut post Josephum alii ferè omnes Scriptores tradunt. Hic urbem condidit, quam Ninus Nemrodi filius de suo nomine Niniven pòst appellavit, ut infrà notamus ad Annum Mundi 1826. Tertius Semi filius est Arphaxad, à quo Chaldæi (ut ait Josephus) Arphaxadæi sunt dicti. Quos autem Græci Χαλδαίους vocant, Hebræis sunt *Chasdim*, à Chesed Nachoris filio ità nuncupati, ut notavit Mercerus ad Gen. 22. 22. Quarto loco inter filios Sem nominatur Lud, à quo Lydi Asiæ Minoris populi creduntur orti. Itaque Latinus Interpres Esaiæ cap. ult. vers. 19. & Ezech. 27. 10. hoc nomen Lud vertit Lydiam, & Lydios. Alii erant Ludim in Africa, inter posteros Mesraim suprà commemorati. Quintus Semi filius appellatur Aram; à quo variæ sunt ortæ gentes, quæ partim Syrorum nomine dictæ sunt à Græcis, partim in aliorum populorum nomen concesserunt. Divina Scriptura non obscurè indicat, Aram ejúsque posteros Mesopotamiam & universam Syriam insedisse. Igitur illa regio, quam Græci Μεσοποταμίαν vocant, utpote inter Euphraten

Euphraten & Tigrin sitam, Aram Naharaim Mosi appellatur, Gen. 24. 10. & Deut. 23. 4. id est, Aram duorum fluviorum, vel Syria interamnis: eadémque regio vel pars ejus Padan Aram dicitur, id est Syria bifida, ut vult Mercerus, quòd duæ Syriæ vicinæ essent & conterminæ, Aram Naharaim scilicet & Aram Soba, cujus mentio habetur 2. Sam. 8. *Aram Soba Josepho Sophene dicta est*, inquit Ortelius. Alia est Aram Damasci, cui Aram filius Camuelis, nepos Nachoris, pronepos Tharæ, nomen dedisse putatur, ut ex Gen. 22. 21. colligit B. Hieronymus. Aram verò Semi filius Armeniæ quoque, quæ Syriæ vicina est, nomen imposuit, ut nonnulli ex sono vocis conjiciunt. Propheta Jeremias cap. 51. 27. regna Ararat & Menni nominat. Ararat est Armenia major; Menni seu Minni Armenia minor putatur, quæ nomen suum habet compositum (ut annotat Junius) ex Aram, & antiqua hac ipsius appellatione Minni: Nam Armeniam olim Syriâ fuisse comprehensam testis est Plinius. Syriæ olim incolas Armenios & Aramæos esse appellatos, autor est Strabo, libro primo: Τοὺς γὰρ ὑφ' ἡμῶν Σύρους καλουμένους, ὑπ' αὐτῶν τῶν Σύρων Ἀραθείους καὶ Ἀραμαίους καλεῖσθαι. Gigantem Typhoëum Ἐν Ἀρίμοις fulmine prostratum & sepultum canit Homerus Iliados secundo: Τινὲς δ' ἐν Συρίᾳ πλάττουσι τὸν μῦθον τοῦτον, inquit Strabo: id est, *Fabulam hanc quidam in Syriam rejiciunt*. Et paulo pòst, libro scilicet decimo tertio, ubi Pindari locum de Typhone ἐν Ἀρίμοις fulminato adducit: Οἱ δὲ, inquit, τοὺς Σύρους Ἀρίμους δέχονται, οὓς νῦν Ἀράμους λέγουσιν. hoc est, *Sunt qui Arimorum nomine Syros intelligunt, qui nunc Arami dicuntur*. Idem Geographus libro 16. Λέγει δὲ καὶ τοὺς Ἀρίμους ὁ ποιητὴς, οὓς φησιν ὁ Ποσειδώνιος δέχεσθαι δεῖν, μὴ τόπον τινὰ τῆς Συρίας, ἢ τῆς Κιλικίας, ἢ ἄλλης τινος γῆς, ἀλλὰ τὴν Συρίαν αὐτήν· Ἀριμαῖοι γὰρ οἱ ἐν αὐτῇ. τάχα δ' οἱ Ἕλληνες Ἀραμαίους ἐκάλουν Ἀρίμους. id est, *Nominat etiam Arimos Poëta, quos Posidonius docet esse accipiendos, non locum aliquem Syriæ vel Ciliciæ, vel alîus terræ, sed Syriam ipsam. Arimæi enim sunt, qui in ea habitant: & fortasse Græci Aramæos, Arimos vocabant*. Hactenus Strabo. Filii Aram recensentur quatuor: Hus, Hul, Gether, Mes. Primus Arami filius Hus sive Uz, populorum auctor est in Trachonitide, quæ Ausitis Græcis Interpretibus dicitur, patria sancti Job. Pertinebat autem ad Idumæam, ut colligi potest ex Thren. 4. *Gaude filia Edom, quæ habitas in terra Hus*. Hunc filium Aram, Damasci conditorem fuisse ait Josephus. Alter filius Aram, Hul scilicet, Palmyrenen:

renen ad Euphraten usque obtinuit, ubi fuit oppidum Χόλλη, cujus meminit Ptolemæus. Hujus viri nomen apud Josephum corruptè legitur Ὄβος, pro Ὄλλος. Ibi autem Armeniam dicitur tenuisse. Tertius filius Aram, est Gether: quem Josephus facit parentem Bactrianorum. Junius vult Apamenes incolam fuisse, ubi Atergatis idolum colebatur. Quartus Arami filius, Mes, sive Mas, videtur incoluisse superiorem Syriæ tractum inter Ciliciam & Mesopotamiam, ad partem usque Amani montis, quam Μάσιον vocant. Armeniæ montem Masium Strabo non semel commemorat, sub quo Nisibis urbs sita fuit. Mesanæos ab hoc denominatos vult Josephus, qui Σπασίνου (vel Πασίνου) χάρακα habitabant. Est autem Pasini Castrum, Susianæ oppidum, inter Tigrin & Eulæum flumina situm, ut docet Ortelius.

A. M. 1758. *NOÆ* 702.

JEctan sive Joctan (quem Josephus Ἰούκταν vocat) alter Heberi filius hoc anno natus videtur: Cujus filios tredecim commemorat Moses Gen. 10. 26. addítque illos Jectani liberos habitâsse à Messa usque ad Sephar montem Orientalem. B. Hieronymus Messam hanc Indiæ regionem esse opinatur: Sephar autem esse montem Orientis in India: filios igitur Jectan à Cophene fluvio omnem Indiæ regionem, quæ vocatur Jeria, possedisse. Verba Josephi, cujus opinionem secutus est Hieronymus, hodie sic leguntur, Οὗτοι ἀπὸ Κώφηνος ποταμοῦ τῆς Ἰνδικῆς καὶ τῆς πρὸς αὐτοῦ συρίας τινὰ κατοικοῦσι. Pro συρίας, legisse videtur Hieronymus, ἱερίας. Unus quidem ex filiis Jectan, nominatur Ophir; qui regioni auriferæ nomen dedisse existimatur. Eam verò regionem in India Orientali fuisse vult Josephus. Vide Ortelium in Thesauro Geographico.

In Heberi familia, post linguarum confusionem, Linguam primam incorruptam & inviolatam mansisse, eámque propterea Hebream fuisse appellatam, suprà notavimus. Apud Esaiam cap. 19. 18. hæc appellatur Lingua Canaan, quòd Hebræi sive Israëlitæ, qui Hebraicâ linguâ utebantur, terram Canaan possiderent. Purus enim ejus linguæ usus in terra Canaan inter Heberi posteros illos usque ad captivitatem Babylonicam permansit. Sed & Terra Hebræorum ea dicta fuit, quo tempore Jacob vix quidquam ibi possidebat. Nam Joseph Jacobi filius Gen. 40. 15. ait, se furtim sublatum esse de terra Hebræorum. Josephus Scaliger linguam hanc

hanc primitivam apud ipsos Chananæos puram mansisse arbitratur, & ipsum Abrahamum ibi demum hanc linguam didicisse. Sic enim ille scriptum reliquit, in epistola ad Richardum Thomsonium: Lingua Hebraica est, quæ in usu fuit Chananæis, hoc est Phœnicibus, tempore Abrahami. Syriaca verò, quâ utebatur antea Abraham, locum habebat duntaxat in tractibus Euphratis: quæ degeneraverat ex Chananæa, propter frequentem usum & aliarum gentium commercia, quæ in Babyloniam negotiationis causâ sese conferebant. Idem Scaliger, epistolâ ad Stephanum Ubertum, *Tempore Elisæ*, inquit, *quæ coloniam Pœnorum in Africam deduxit, universa Phœnicia & Palæstina puro Hebraismo utebatur. Ea lingua intemerata mansit in Assyria & Syria à primo usque homine, donec commerciis & negotiationibus exterarum gentium defecit à prima puritate, & in eam linguam desciv it, quæ Syriaca vocata est, & jam tempore Abrahami & Patriarcharum in usu erat, ut perspicuè constat ex* Gen. 31. 47. *ubi tumulum Jacob Phœnicià linguâ Galed, Laban Assyriâ Jegarsahadutha vocat. Cùm Abraham venit in Canaan, quæ est Phœnicia, Assyriâ & trans-Euphratensi linguâ utebatur; ut illi opus fuerit Phœniciam utpote novo inquilino discere: Isaaco, & Jacob opus non fuit, utpote qui in ipsa regione nati essent.* Hæc ille. Nicolaus verò Fullerus Miscell. lib. 4. cap. 4. linguam Hebræam nunquam idioma Phœnicum fuisse contendit, post linguarum scilicet confusionem. Tanti enim pretii thesaurum Chanaanis posteris concreditum fuisse, nullo (inquit) pacto probabile videtur. Abrahamum verò hanc linguam incorruptam secum in terram Canaan attulisse, ex Augustino De Civit. lib. 16. cap. 11. probare conatur; idque hoc argumento: In Abrahæ familia mansit Ecclesia Dei, cæteris deficientibus. Cùm verò linguarum confusio fuerit pœna defectionis; sequitur, Ecclesiam Dei, quæ defectionis non fuit affinis, ab hac pœna pariter immunem mansisse. Addit, linguam Hebræam jam indè ab initio, sanctissimis Dei arcanis excipiendis & conservandis dicatam & consecratam fuisse: ideóque per manus Patriarcharum & Prophetarum usque ad Christum in carne patefactum, posteris absque corruptela fuisse traditam. Porrò, negat Abrahamum ullam habuisse cum Chananæis consuetudinem & familiaritatem, ac proinde non ab eis linguam Hebræam didicisse. Antiqua autem nomina Hebraica urbium & loco-

rum in regione Chanaan ab ipsis Chananæis imposita fuisse non concedet. Quin potiùs vetusta ab indigenis Chananæis indita nomina, postmodum Hebraico more prolata & expositа, itidémque à divinis illis Scriptoribus sacrarum literarum monumentis mandata fuisse arbitratur. Denique, gloriam inventionis ac primæ propagationis cùm literarum, tum scientiarum (quam Plinius Phœnicibus, alii Ægyptiis tribuere solent) magno patriarchæ Abrahamo & popularibus ejus Chaldæis primò & peculiariter asserendam esse, non dubitat.

A. M. 1782. *NOÆ* 726.

MEsraim, primus Ægypti habitator & Ægyptiorum parens, putatur esse Osiris. In Arabia Felici Cham Osiridis pater urbem condidit, quam Nysam dixit, id est, Asylum. In hac urbe natus est Osiris: quem idcirco Διόνυσον vocant Græci, ἀπὸ τε τῦ πατρὸς καὶ τῦ τόπυ, à patre simul & patria nuncupantes, ut ait Diodorus Siculus lib. 1. Nam patrem Osiridis Δία vocatum esse (quod Dei nomen est) acceperant. Cham quidem post mortem pro Deo colebatur. Is est Jupiter Hammon: quem Libyæ regem fuisse scribit Diodorus. Ex Arabia enim in Ægyptum & Africam pervenerat. Ipse à calore nomen sortitus, calidarum regionum fuit incola: itaque nominis significatio congruit naturæ regionis, quæ Chami sedes fuit. Ideóque Ægyptus, Africæ pars primaria, antiquitus Χημία (ut ait Plutarchus) à peritissimis Sacerdotum Ægyptiorum appellata est: quemadmodum & in sacris literis non semel *Terra Ham*, vel *Terra Chami* dicitur. Regio illa universa ab Ægypto ad extremas Æthiopiæ maritimæ oras, æstuosa est: unde & tota Libya sive Africa ab ipso Ham sive Ammone, Ἀμμωνὶς & Ἀμμωνία fuit nuncupata, teste Stephano. Hammonem, & Jovis & Solis nomen esse aliqui existimârunt, ut docet Macrobius. Fingebatur autem capite arietino: quia in circulo Zodiaco totius curriculi Solaris & principium & finis est Signum Arietis. Ipse quoque Sol antiquissimâ linguâ *Hamma*, & idolum Solis *Hammon* vocatur. Denique color ille fuscus, quo maximè insignes sunt Africani, Chami appellatione includitur. Vide Fulleri Miscel. lib. 2. cap. 4. & Drusii Notas ad loca difficiliora Geneseos, cap. 38. & ad Levitici loca, cap. 92. Cham ex Arabia in Ægyptum navi cùm trajecisset, ibi Thebas condidisse fertur, à navi sic dictas, & aliam urbem, quam de suo nomine

mine Chemmi dixit. Thebas Ægyptias à posteris Diospolin appellatas esse, notat Diodorus: quam totius Ægypti metropolin fuisse, veteres (teste Strabone) tradiderunt, & centum portas habuisse. Inibi Jovis Thebani fanum fuit, ut scribit Herodotus. Thebarum conditorem Osirim fuisse, apud Diodorum legimus: Κτίσαι δ φασι τὸν περὶ τὸν Ὄσιριν πόλιν ἐν τῇ Θηβαΐδι τῇ κατ' Αἴγυπτον ἑκατόμπυλον. id est, *Urbem centum portarum in Thebaïde Ægypti ab Osiride conditam aiunt.* Addit, eum ibi Templum Διὸς καὶ Ἥρας (qui Osiridis & Isidis parentes sunt) καὶ ναὸς χρυσοῦς δύο Διὸς, alterum Διὸς ἑρκείου, alterum Διὸς Ἀμμωνος, patris sui, dedicâsse. Ædiculas aureas intelligit, quales B. Lucas ναὸς ἀργυροῦς Ἀρτέμιδος dixit. De antiquitate Osiridis hæc non multo pòst subdit Diodorus: Εἶναι δ' ἔτη φασὶν ἀπὸ Ὀσίριδος ἕως τῆς Ἀλεξάνδρου βασιλείας, πλείω τῶν μυρίων· ὡς δ' ἔνιοι γράφουσι, βραχὺ λείποντα τῶν δυσμυρίων καὶ πεντακισχιλίων. hoc est, *Ab Osiride ad regnum Alexandri* (qui nominis sui urbem in Ægypto condidit) *plusquam decem millia annorum fluxerunt, vel, ut quidam scribunt, paulo minus viginti tribus annorum millibus.* Annos ibi bimestres & menstruos accipiendos censeo. Itaque annos Solares 1890 vel 1889 ab Ægyptiorum primo Rege Osiride ad Alexandri Magni principatum & Alexandriam in Ægypto conditam rectè numerabimus, ut monet Cappellus. Namque anno Nabonassari 417 vel 418 Alexander Ægypti potens factus est. Præter hunc Ægyptiorum Dionysum Græci duos alios celebrant Διονύσους sive Bacchos; de quibus infrà fiet mentio. Io Inachi filiam cum Iside Osiridis conjuge perperam nonnulli confundunt.

A. M. 1786. *NOÆ* 730.

NImrod sive Nembroth (qui Josepho Nabrodes vocatur) Chusi filius, Chami nepos, à civibus Belus dictus, primus in terra cœpit esse *Gibbor*, hoc est *Potens*, vel *Dynasta*, Gen. 10. 8. Prima ejus Dynastia fuit Babylone, annis circiter mille quadringentis ante Sardanapali mortem. Imperii autem Assyriorum duratio variè ponitur apud auctores. Cujus varietatis causa esse videtur, quòd alius Assyriaci Imperii annos inchoet à Chusi nativitate, ut putat Cappellus, (ideo enim 1520 annos Assyriis tribuere potuit Herodotus) alius ab erecto Babylone imperio, ut Diodorus Siculus, qui annos ponit mille quadringentos: alius à conditu Ninives, ut Ctesias, qui annos 1360 posuit, teste Diodoro: alius denique ab obitu

Beli, ut Trogus & Eusebius, qui annos mille trecentos Assyriis tribuunt.

Belum Assyrium esse Mosis Nimrodum rectè censuit Eusebius initio sui Chronici, & B. Hieronymus in Hoseæ cap. 2. ubi Ninum Beli filium esse dicit. Augustinus De Civit. lib. 16. cap. 17. Ninum regnâsse ait Babylone post mortem patris sui Beli, qui primus hîc regnaverat. Adde, quòd Abydenus apud Eusebium Præparationis Evangelicæ libro nono, primum Babylonis ædificatorem facit Belum. In Sacra autem Scriptura non obscurè significatur, Nimrodum fuisse primum conditorem vel fundatorem Babylonis. Arbelus Cyrillo nominatur, libro tertio contra Julianum: *Primus* (inquit) *regnavit in Assyriorum terra vir superbus & arrogans Arbelus, qui & primus hominum dicitur à subditis nomen Deitatis accepisse: perseverârunt igitur Assyrii, & finitimæ illis gentes sacrificantes ei, & adorantes: postea fuit Ninus Arbeli filius, &c.* Babylonis primum conditorem fuisse hunc Belum, legas apud Q. Curtium libro quinto, Orosium, & alios. Sed & ipse Moses innuit, ab iis qui Turrim ædificabant, simul quoque ædificatam esse civitatem. Inter eos autem qui ædificaverunt Turrim Babel, ducem ac principem fuisse Nabrodem, scribit Josephus. Hoc voluit Eupolemus, qui à gigantibus post diluvium ædificatam esse Babylonem tradidit, teste Eusebio. Nimrod enim Gigas appellatur Græcis Bibliorum Interpretibus. Οὗτος (ὁ Νεμβρωὴδ) ἤρξατο εἶναι γίγας ἐπὶ τῆς γῆς. Sunt tamen, qui Babylonem à Regina Semiramide extructam prodiderunt. Qua de re infrà dicturi sumus ad Annum Mundi 1937.

A. M. 1787. *NOÆ* 731.

PHaleg Heberi filius annos triginta natus gignit Reu, qui Græcis Ragau dicitur, literâ ϒ in γ mutatâ, ut in aliis fieri solet nominibus, Gairad, Gothoniel, Gomor, Gomorrah.

A. M. 1819. *NOÆ* 763.

REu annos triginta duos natus Sarugum genuit.

A. M. 1826. *NOÆ* 770.

URbs Ninive circa hoc tempus videtur condita. Quis verò eam condiderit, inter Sacræ Scripturæ interpretes parùm convenit. Mosis verba sunt Gen. 10. 11. *De terra illa* (Sennaar) *egressus est Assur,*

Assur, & adificavit Niniven. Hujus loci expositio duplex affertur. Prior, hæc: De terra illa Sennaar, ubi Babylonem Nemrod condidit, ipse egressus est in Assur, id est in Assyriam, ut scilicet imperii sui fines propagaret. Hanc sententiam Jacobus Cappellus amplectitur: *Hoc circiter anno*, inquit, *Niniven condidit de filii sui nomine dictam Belus, quem Mosis Nimrodum esse meritò censent.* Altera interpretatio est eorum, qui volunt Assur esse hominis, non regionis nomen: sed quis ille Assur fuerit, non consentiunt. Quidam Semi filium intelligunt, cujus fit mentio Gen. 10. 22. & de quo sic scribit Josephus: Ἀσσύριος ὁ Νίνου οἰκίζει πόλιν, καὶ τὸς ὑπηκόους, Ἀσσυρίους ἐπωνόμασεν, οἱ μάλιστα εὐδαιμόνησαν. id est, *Assur urbem Ninum condidit, & subditos de se Assyrios denominavit, quorum opes præ cæteris efflorucrunt.* Hanc sententiam B. Hieronymus secutus est in Locis Hebraicis, & Aug. De Civit. lib. 16. cap. 3. Sensus ergò erit, Assur Semi filius cùm videret Nemrodum affectare tyrannidem, cessit illi, nè cum homine impio habitaret: vel, ut explicat Mercerus, tum demum egressus est Assur Semi filius ex terra Sennaar, cùm non succedente ædificatione Turris Babel, singuli in alias atque alias regiones, quas sibi occuparent, concesserint. Itaque hunc Assur Semi filium Mercerus opinatur esse primum Ninives & Imperii Assyrii conditorem: etsi fieri potuit, ut Ninus postea hanc urbem muniverit, instauraverit, & auxerit, unde & ab ipso nomen accepit: quod nomen Moses hoc loco per prolepsin usurpaverit. Alii censent, nomine Assur denotari ipsum Ninum Assyriorum Regem, qui Assyrios ab Assur filio Sem ità dictos bello subegit, & urbem hanc celeberrimam ad Tigrim fluvium condidit: cœpit enim regnare Ninus Beli filius in Babylonia, & indè bello finitimos adoriens pervenit in terram Assyriorum. Juxta hanc opinionem (quam sequitur Franciscus Ribera, neque improbat Pererius) urbs Ninive post Beli obitum condita fuerit: à quo tempore nonnulli, ut diximus, inchoant Assyriorum Imperium. Ninum Ninives conditorem primum fuisse, multi profectò Scriptores prodidêre. Post Diodorum Siculum & Eusebium id testatur B. Hieronymus in Hos. cap. 2. *Primum* (inquit) *omni Asiæ regnâsse Ninum Beli filium, omnes & Græca & Barbara narrant historiæ: qui apud Assyrios Ninum sui nominis condidit civitatem, quam Hebræi vocant Ninive. Nin* Hebraicè est, *Filius; nava, habitatio.* Hoc igitur nomen *Ninive*, sonat *Nini habitaculum*, vel *Filii habitaculum.*

habitaculum. Straboni, Plinio, & Ptolemæo ipſa urbs Ninus appellatur.

A. M. 1849. *NOÆ* 793.

SArug Revi filius annos triginta natus gignit Nachorem, Gen. 11. 22.

A. M. 1878. *NOÆ* 812.

NAchor Sarugi filius annos undetriginta natus gignit filium, qui Terach ſive Thare appellatus eſt. Hunc idololatram fuiſſe legimus in libro Joſuë, cap. 24. 2. *Trans fluvium habitârunt olim patres veſtri, nempe Thare pater Abrahami & pater Nachoris, ſervierúntque diis alienis.*

A. M. 1885. *NOÆ* 829.

BElus cùm regnâſſet annos ſexaginta, perit, relicto ſucceſſore filio Nino. Hic in tantam pervenit gloriam, ut patrem ſuum Belum referret in deum, qui Bel dicitur, ut ſcribit B. Hieronymus in Hoſeæ cap. 2. Addit, Sidonios & Phœnicas appellare *Baal*, quem Babylonii *Bel* vocârunt. Belus igitur ſive Nemrod cùm à poſteris pro deo potiùs, quàm pro rege habitus ſit, hinc Caſtor chronographus apud Euſebium, & Trogus Pompeius Aſſyriorum Imperio tribuunt tantùm annos mille trecentos, qui à Beli obitu inchoandi ſunt. Idem Trogus, & Diodorus, aliíque hiſtoriographi, cùm minùs cognitam haberent Nini poſterorum hiſtoriam, nobiliſſima quæque eorum geſta in unum Ninum ejúſque uxorem Semiramidem conferunt, eódem congeſtis etiam fortaſſe Beli ipſius facinoribus.

A. M. 1915. *NOÆ* 859.

ÆGialeus primus Sicyoniorum rex hoc circiter anno regnare cœpit, ut ex Euſebio poteſt colligi. Stetit illud regnum ab Ægialeo uſque ad Zeuxippum 961 annos, ut notavit Caſtor. Sicyoniorum Reges recenſet Pauſanias Corinthiacis. Vide quæ infrà notamus ad Annum Mundi 2615.

A. M.

A. M. 1935. *NOÆ* 878.

CIrca hoc tempus obiiſſe putatur Meſraim ſive Oſiris : cujus filium Orum Ægyptii deorum ultimum eſſe aiebant, ut ibi Reges incipiant, ubi deſinunt dii. Orum Oſiridis filium fuiſſe tradit Diodorus. Annum trimenſtrem Orus inſtituit; unde & annus Ὧρος nonnullis fuit appellatus. Sic enim ſcribit Cenſorinus cap. 19. *Sunt qui tradant*, inquit, *Annum trimenſtrem Horon inſtituiſſe, eóque ver, æſtatem, autumnum, hyemem* ὥρας, *& annum* ὧρον *dici, & Græcos Annales horos, eorúmque ſcriptores horographos.* Heſychius : Ὡρογεάφοι, ἱστοριογράφοι τὰ κατ' ἔτος πραττόμενα γράφοντες. ὧρος γὰρ ὁ ἐνιαυτός. Quidam putant Ægyptios Ori nomine Apollinem, id eſt, Solem intellexiſſe, qui lucis fons. Lux quidem antiquiſſimâ linguâ *Or* dicitur. Plutarchus Ægyptios ait Oro tribuiſſe duos oculos, Oſiridem ſcilicet & Iſidem, hoc eſt, Solem & Lunam.

Poſt Orum regnavit Menas : de quo ſic ſcribit Diodorus, Μετὰ τοὺς θεοὺς πρῶτον φασὶ βασιλεῦσαι τῆς Αἰγύπτου Μηνᾶν id eſt, *Poſt deos, aiunt, primus Ægypti rex fuit Menas :* qui deos venerandi & rem divinam faciendi rationem populo tradidit. Herodotus libro ſecundo, ait Menem (Μῆνα) primum Ægypti regem ἀποχαυρῶσαι τὴν Μέμφιν, id eſt, *Memphin aggeſſiſſe.* Addit, *Ab eodem Rege, cùm ea pars à qua fluvium arcuerat, terreſtris* (χέρσος) *facta eſſet, urbem ibi conditam quæ nunc Memphis appellatur.*

A. M. 1937. *NOÆ* 880.

NInus Aſſyriorum rex ſecundus obit, cùm regnâſſet annos quinquaginta duos, filium Ninyam impuberem relinquens. Ninus primus eſt regum omnium τῶν εἰς ἱστορίαν καὶ μνήμην παραδεδομένων, id eſt, *qui ſcriptores rerum ſuarum nacti ſunt*, inquit Diodorus. Monarchiam Aſſyriorum ipſe Ninus, & poſt ipſum uxor ejus Semiramis adeò prolatârunt, ut eos imperâſſe toti Aſiæ, quanta ſcilicet jacet inter Tanaim & Nilum, veteres tradiderint. Poſtremum Nino bellum fuit cum Zoroaſtre rege Bactrianorum, magicæ artis repertore. Hinc Arnobius libro primo, inter Aſſyrios & Bactrianos Nino Zoroaſtréque ductoribus non tantùm ferro & viribus dimicatum aſſerit, verùm etiam magicis & Chaldæorum reconditis diſciplinis. Dubitat verò Plinius, an magus ille Zoroaſtres, quem veteres

veteres celebrant, sit idem cùm Rege Bactrianorum. Ctesias quidem, & eum secutus Diodorus, non Zoroastrem, sed Oxyarten nominant Regem illum Bactrianorum, in quem expeditionem fecit Ninus. Magus verò multis seculis posterior videtur: à quo, ad Xerxis transitum, annos putat sexcentos vetustissimus scriptor Xanthus Lydus, ut refert Laërtius in procœmio: Ξάνθος δὲ ὁ Λυδὸς εἰς Ξέρξου διάβασιν ἀπὸ τοῦ Ζωροάστρου ἑξακόσια φησὶν ἔτη γεγονέναι. Josephus Scaliger ait Zoroastris nomen linguâ Persicâ significare ἀστροθύτην, *astrorum sacrificulum.*

Ninum telo trajectum periisse, dum urbem quæ defecerat oppugnaret, scribit Orosius. Alii tradunt, Semiramin petiisse à marito, ut quinque tantùm dies regni jus sibi concederet; cúmque id impetrâsset, in regno illo jussisse maritum occîdi, atque ità Assyriorum obtinuisse imperium. Historiam ex Dinone refert Ælianus Var. Hist. lib. 7. cap. 1.

Semiramidem Nini viduam tutricis nomine regiam potentiam retinuisse aiunt annos quadraginta duos, virili animo, forsan & virilibus armis nonnunquam instructam; unde & sexum mentita dicitur. Babylonem ab hac regina conditam scribit ex Trogo Justinus. Sed & B. Hieronymus in Hos. 2. citat illud Ovidianum ex lib. 4. Metamorph. *Ubi dicitur altam Coctilibus muris cinxisse Semiramis urbem.* Idem tradiderunt Herodotus, Diodorus, Strabo, & Mela. Primus quidem Babylonis conditor fuit Belus Semiramidis socer: sed quia eam urbem exiguam & inundationibus Euphratis penè dirutam ac vastatam, postea Semiramis ampliſſimam, munitissimam & ornatissimam fecit: idcirco non immeritò ædificatrix ejus urbis celebratur. Rerum à Semiramide gestarum magnitudo fecit, ut columbæ in Syria pro diis haberentur: quia Semiramis à columbis enutrita ferebatur, à quibus & nomen accepit, ut ait Diodorus. Hinc in Hesychii Lexico legitur ea nominis hujusce interpretatio: Σεμίραμις, περιστερὰ ὄρειος; ac si Columbam montanam denotaret. Semiramidis quidem signum Columbam fuisse, ex Hebræo scriptore notat Scaliger in Eusebianis. Et apud Jeremiam prophetam cap. 25. 38. 46. 16. & 50. 16. Hebraicam vocem *Hajona* Latinus vetus Interpres vertit *columbam.* Illa igitur verba, *A facie iræ columbæ,* &, *A facie gladii columbæ,* Liranus de exercitu Chaldæorum ait exponi, eo quòd in eorum aliquo vexillo Signum erat columbæ.

columbæ. Atqui *Semiramis* tam Syris quàm Hebræis significat *nomine inclytam*, vel *nomen excelsum*. Altera fuit Semiramis Belochi filia, de qua infrà ad Annum Mundi 2569.

A. M. 1948. *NOÆ* 892.

THare, cùm vixisset annos 70, gignit Abram, Nachor & Haran, Gen. 11.26. hoc est, liberos gignere cœpit, cùm jam septuagenarius esset. Filios autem ejus ordine retrogrado nominat Moses, quia minimus natu, Abram videlicet, illustrissimus evasit. In genealogiis enim contexendis Sacra Scriptura non semper ordinem nativitatis sequitur, ut monent Theologi.

A. M. 1966. *NOÆ* 910.

HErcules Ægyptius, qui Diis adversus Gigantes opem tulisse perhibetur, circa hæc tempora claruit, ut ex Diodoro colligitur. Hic nonnullis Veterum Gigôn vel Gignôn fuit nuncupatus, ut ex Hesychio discimus. Lilius Gyraldus pro γιγὼν, mutilatum nomen χὼν alicubi legerat. Auctorem ille citat Antiochum Xenophanis: quem quidem nominat Hesychius in χὼν, ubi tamen Herculis nulla mentio. Non unum fuisse Herculem fatentur Græci Scriptores, cùm tamen Poëtæ omnium res gestas uni Alcmenæ filio tribuere soleant.

A. M. 1979. *NOÆ* 923.

NInyas (qui & Zameys) Nini filius indignatus paternum regnum à Semiramide matre ante annos 42 occupatum sibi non restitui, ut odium illi conciliaret, finxit rem minimè credibilem, mulierem sexagenariam filii concubitum petiisse. Atque hoc prætextu regnum simul & vitam matri eripit. Excussâ durâ matris custodiâ, Ninyas reliquos vitæ dies in deliciis egit. Cujus exemplum imitati successores plerique obscurè vitam transegerunt, adeò ut nobis nihil supersit præter nudam, incertam, mendosam nominum seriem. Eam ex Eusebio repetat, qui volet. De Ninya vide Diodorum, & Trogi breviatorem.

A. M. 1988. *NOÆ* 932.

ABrahamum hoc anno natum putat Eusebius. Unde & numeri Eusebiani, quos scilicet Scaliger Eusebii Chronico apponi curavit,

ravit, ab hoc anno incipiunt. De Abrahæ nativitate mox dicemus ad Annum Mundi 2007.

A. M. 1996. *NOÆ* 940.

PHaleg Heberi filius cùm annos ducentos undequadraginta vixisset, moritur, relicto patre superstite.

A. M. 1997. *NOÆ* 941.

NAchor Sarugi filius Abrahami avus, cùm vixisset annos 148, moritur, anno uno vel altero post obitum proavi sui Phalegi.

A. M. 2006. *NOÆ* 950.

NOë patriarcha supremum diem obit nongentesimo quinquagesimo ætatis anno, cùm ante Diluvium 600, pòst 350 annos vixisset, & ante obitum videret posteros in superstitionem & idololatriam ruentes: siquidem in ipsam Semi Heberique familiam jam irrepserat δευτεδαιμονία & deorum cultus.

A. M. 2007. *ante Christum* 1996.

ABRAHAMI 1.

ABrahami credentium patris nativitatem anno vitæ Tharæ centesimo trigesimo (ineunte) statuunt doctissimi Sacræ Scripturę Interpretes. Nam Thara, cùm esset septuaginta annorum, cœpit generare filios, & eo anno primum filium genuit Haranem; (cujus nempe duas filias Melcham & Saram uxores duxerunt Nachor & Abram:) Deinde aliquot post annos Thara genuit alterum filium Nachorem; noviſſimè autem, cùm esset jam 129 vel 130 annorum, filium natu minimum Abrahamum genuit. Quamvis non expressè dixit Moses, quoto patris anno genitus sit Abram, tamen id ex ipso Scripturæ textu satis apertè colligi potest, ac demonstrari. Ipse etenim Thara vixit ducentos & quinque annos, ut narrat Moses Gen. 11. 32. Post mortem autem ipsius Tharæ, Abram ex Mesopotamia profectus in terram Canaan, dicitur fuisse tunc septuaginta quinque annorum, Gen. 12. 4. ergò natus fuit anno patris centesimo trigesimo, vel centesimo vigesimo nono exeunte. Hanc sententiam (ut verissimam) secutus est doctissimus pater Theodoretus, ut apparet ex verbis ejus, quæ citantur in Zephyri Catena, ad 12 cap. Geneseos.

Geneſeos. Et hujus etiam ſententiæ meminit Auguſtinus Quæſtionibus ſuper Geneſin. Intervallum temporis inter Abrahæ & Chriſti Domini noſtri Nativitatem, eſt annorum 1996, vel, juxta Cappellum, annorum 1997. Id notandum fuit hoc anno, quo natus eſt Abram, qui multo clariores de Chriſto promiſſiones accepit, quàm ſuperiores Patriarchæ. Huic enim illuſtriſſimo Patriarchæ Abrahamo Chriſti Domini Natalem vel in Carne Adventum divinitus revelatum fuiſſe ſcimus, ex Domini ipſius verbis Joan. 8. 56.

Annorum, qui à Diluvio uſque ad Abrahami nativitatem fluxerunt, Tabula chronologica.

Ann. Mund.	Ann. Noa.	Ann. Semi.										
1656	600	98	Diluvium.									
1658	602	100	Arphaxad	naſcitur.								
1693	637	135	35	Sala	naſcitur.							
1723	667	165	65	30	Eber	naſcitur.						
1757	701	199	99	64	34	Phaleg	naſcitur.					
1787	731	229	129	94	64	30	Reu	naſcitur.				
1819	763	261	161	126	96	62	32	Serug	naſcitur.			
1849	793	291	191	156	126	92	62	30	Nachor	naſcitur.		
1878	822	320	220	185	155	121	91	59	29	Thare	naſcitur.	
1948	892	390	290	255	225	191	161	129	99	70	Haram	naſcitur.
1996	940	438	338	303	273	239	209	177	147	118	Phaleg	moritur.
1997	941	439	339	304	274		210	178	148	119	Nahor	moritur.
2006	950	448	348	313	283		219	187		128	Noë	moritur.
2007		449	349	314	284		220	188		129	Abram	naſcitur.

A. M. 2017. *ante Chriſtum* 1986.
ABRAHAMI 10.

SAra decennio poſt Abrahamum naſcitur, ut colligitur ex Gen. 17. 17. Haran Tharæ filius (quem Saræ patrem fuiſſe plerique cenſent) ſexaginta annis ante fratrem Abrahamum natus eſt, ex alia matre, ut diſcas ex Gen. 20. 12. Haran genuit Lothum, Jeſcham, & Melcham. Jeſcha (quæ alio nomine dicta eſt Sara) Abrahamo nupſit, & Melcham Nachor Tharæ filius duxit uxorem, Gen. 11. 29. Abraham autem Saram ſororem vocavit, quomodo & Lothum fratrem. Nachoris ex Melcha filius fuit Cheſed ſive Chaſed, Gen. 22. 22. à quo dicti ſunt Chaſdim, id eſt, Chaldæi.

A. M. 2026. *ante Chriſtum* 1977.
ABRAHAMI 19.

REu ſive Ragau Phalegi filius moritur, cùm vixiſſet annos 239.

A. M. 2043. *ante Chriſtum* 1960.
ABRAHAMI 36.

JUpiter Cretenſis circa hoc tempus vixiſſe putatur, qui fuit abſconditus & nutritus à Curetibus. Hi Cnoſſon urbem condiderunt, & Cybeles templum: quorum unus Cres dictus fuit, & in Creta primus regnâſſe creditur, à quo etiam Inſula nomen accepit, Euſebius. Vetuſtiſſimos omnium Cretæ populorum fuiſſe Ετεόκρητας, quorum rex Κρὴς fuerit, auctor eſt Diodorus libro quinto. Arrianus, apud Euſtathium: Κρὴς, ὃ Κρήτη ἐπώνυμος, ὁ τὸν Δία κρύψας ἐν ὄρει Δικταίῳ. Et Anaximander apud Solinum, à Crete rege Curetum Inſulam Cretam appellatam prodidit. De Curetibus plura legas apud Strabonem, libro decimo.

A. M. 2049. *ante Chriſtum* 1954.
ABRAHAMI 43.

SArug Revi filius moritur anno ætatis ducenteſimo trigeſimo.

A. M. 2077. *ante Chriſtum* 1926.
ABRAHAMI 70.

PROMISSIONES.

ABram à Deo vocatus & juſſus egredi de patria ſua, accipit promiſſionem de Chriſto, Gen. 12. 1, 2, 3. Dixerat enim Dominus ad Abramum (nempe cùm Abram adhuc eſſet in Chaldæa ſive Meſopotamia, ut ait B. Stephanus Act. 7. 2. Meſopotamiam vocans non eam modò regionem quæ duobus amnibus Euphrate & Tigri includitur, ſed etiam Babyloniam, cujus pars eſt Chaldæa) dixerat, inquam, jam Dominus ad eum, *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni to in terram, quam monſtravero tibi: faciámque te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, eriſque benedictus: benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi, atque in te benedicentur univerſæ*

universæ cognationes Terræ. Huic vocationi obsecutus Abram egressus est de Chaldæa cum patre suo, ut irent in terram Chanaan; quod per prolepsin narrat Moses Geneseos cap. 11. his verbis, *Tulit itaque Thare Abramum filium, & Lot filium Haran, filium filii sui, & Sarai nurum suam, uxorem Abrami filii sui, eduxitque eos de Ur Chaldæorum, ut irent in terram Chanaan: venerunt autem usq; ad Charran, & habitaverunt ibi.* Quamvis enim Moses faciat Thare auctorem hujus profectionis, tamen suasu filii eum discessisse è Chaldæa, non dubitandum est. Notat Mercerus Scripturam hunc honorem patri habere, quòd pater filium transtulerit, etsi Abram itineris dux esset, & patrem in suam sententiam pertraxisset. *Scito igitur* (inquit) *Abramum, cùm mandatum accepisset à Domino, de exeundo è terra sua, id patri aperuisse; & patrem ei consensisse, ac voluisse cum eo abire.* Chrysostomus homiliâ 31 in Genesin, hæc habet: Θεοφιλὴς ὄντος τῷ παιδὸς, ὡφθεὶς αὐτῷ ὁ Θεὸς προσέταξε μεταναστῆσαι ἐκεῖθεν. καὶ τοῦτο γνοὺς ὁ Θάρρα ὁ τούτου πατὴρ, εἰ καὶ ἄπιστος ἐτύγχανεν, ἀλλ' ὅμως διὰ τὸν πρὸς τὸν παῖδα φίλτρον κοινωνῆσαι αὐτῷ κατεδέξατο τῆς ἀποδημίας. hoc est, *Cùm filius Deo acceptus esset, visus ei Deus mandavit ut indè migraret: Quod ut agnovit Thara pater ejus, licèt infidelis esset, attamen ob amorem in filium, socius illi peregrinationis esse voluit.* Abram igitur jussu Dei discessit ex Chaldæa: unde dicitur à Deo eductus ex Ur Chaldæorum, Gen. 15. 7. Sed quia pater ejus unà cum eo discedere voluit, sive amore erga filium, sive tædio atque odio Chaldæorum ob acerbam filii sui Haranis mortem, ut tradit Josephus; idcirco Moses decorum servans, auctorem discessûs ex Chaldæa fecit Tharam patremfamilias.

Ab hoc tempore quo Deus Promissionem hanc dedit Abramo, usque ad tempus Legis in monte Sinai promulgatæ, transierunt quadringenti & triginta anni, quos memorat B. Paulus Galat. 3. ubi dicit, Legem Mosis non habuisse vim infirmandi & irritam faciendi Promissionem Dei datam Abrahæ, in qua continebatur benedictio omnium gentium per Semen ejus: Nimirum hac ratione illud probat, quia Lex lata est 430 annis post illam promissionem: ideóque illa omnium gentium benedictio non per Mosaicam Legem, sed per illud Semen Abrahamï expectanda erat. Illa igitur Apostoli verba, μετὰ ἔτη τετρακόσια καὶ τριάκοντα, non aliò quidem referenda sunt, quàm ad Promissionem Abrahamo factam: ad hanc,

inquam, primam Promiſſionem, non ad aliquam earum, quæ poſtea ei datæ ſunt. Quamvis enim in hac prima Promiſſione expreſſè non fiat mentio Seminis Abrahæ, tamen illud *in te*, dictum eſt pro, *in ſemine tuo*. Guilielmus Eſtius in illum locum Apoſtoli ſcribens, rectè obſervat, hoc tempus 430 annorum ducendum eſſe ab initio Promiſſionis Abramo factæ, quia id omnino exigit intentio Apoſtoli: nam urget annorum multitudinem à Promiſſione uſque ad Legem: quare, ut vim adderet argumento, annos à primo tempore factæ Promiſſionis numerare debuit, non ab aliquo poſteriori principio.

Quidam hos 430 annos numerandos cenſent à ſolenni ſanctione Fœderis, quam poſtea factam legimus Gen. 15. 18. Urgent enim illa Pauli verba, διαθήκην προκεκυρωμένην, aiúntque diſcrimen ponendum eſſe inter διαθήκην & ἐπαγγελίαν, Fœdus & Promiſſionem. Fatemur Apoſtolum inchoâſſe hos 430 annos ἀπὸ διαθήκης προκεκυρωμένης. Quamvis enim vocem Fœderis non habeamus Gen. 12. rem tamen ibi habemus. Nam Fœdus eſt promiſſio cum reſtipulatione. Promittit autem Deus benedictionem, & hæreditatem avitâ meliorem: ſtipulatur verò obſequium, abnegationem patriæ & corruptelarum, quibus Abram ibi imbutus erat. Credit Abram Deo, & paret. En Fœdus pleniſſimum. Hanc igitur primam ἐπαγγελίαν, verè συνθήκην ſive διαθήκην inter Deum & Abramum conventam dici poſſe, rectè Joſ. Scaliger contra Paréum contendit. Ea quater diverſis temporibus facta eſt. Primò, Gen. 12. Deinde, Gen. 15. ubi ſancitur cæſis & porrectis hoſtiarum, & vocatur *Berith*, id eſt, *pactum*. Tertiò inſtaurata eſt Gen. 17. atque iterum vocatur *Berith*; quo nomine ibidem Circumciſionis inſtitutum comprehenditur. Quartò iteratur Gen. 22. jurejurando adhibito. Itaque capitibus 15, 17, & 22 nihil innovatur, quo minùs prima ἐπαγγελία ſit διαθήκη, tametſi primæ ἐπαγγελίας inſtaurationi τύποι acceſſerint, ſecundæ inſtitutum περιτομῆς, tertiæ ſacrificium holocauſtum cum jurejurando Dei. Neque enim dicendum eſt, pactum primo loco factum minus habere ponderis, quàm id, quod ſecundo factum eſt; quaſi quod ſemel Deus dixit, irritum ſit, niſi externis ceremoniis muniatur. Igitur appendices ſive acceſſiones illæ ἐπικυρώματα Promiſſionis ſunt, non autem ἡ ἀρχὴ τῆς ἐπαγγελίας. Ità interpretatur Paulus Apoſtolus, ità omnes Judæi tam veteres, quàm recentiores.

Propterea

Propterea Patres annum Abrahami 75, vocant τὸ ἔτος τῆς ἐπαγγελίας, Annum Repromiſſionis; Hinc igitur initium annorum 430 capiendum. Hæc ille. De ea autem ſententia Veterum, qui volunt Abrahamum annos ſeptuaginta quinque natum fuiſſe, cùm primam accepit Promiſſionem, mox dicemus.

A. M. 2083. *ante Chriſtum* 1920.
ABRAHAMI 76.

THare Abrahami pater cùm vixiſſet annos quinque & ducentos, Charane ſive Charris moritur in Meſopotamia, Gen. cap. 11. 32. Defuncto patre (ut narrat B. Stephanus Act. 7. 4.) Abraham è veſtigio inchoatum iter perfecit, & in Chananæam venit, anno ætatis ſuæ ſeptuageſimo quinto jam completo. Videtur enim annis circiter quinque hæſiſſe Charris poſt acceptam primam Promiſſionem. Eum fuiſſe 75 annorum cùm de Charan egrederetur, ſcribit Moſes Gen. cap. 12. 4.

Communis Auctorum ſententia eſt, tempore primæ Promiſſionis Abrahamum annorum ſeptuaginta quinque fuiſſe. Sic enim Joſephus (quem cæteri ſequuntur) Antiquitatum libro primo, cap. 8. Καταλείπῃ τὴν Χαλδαίαν ἑβδομήκοντα καὶ πέντε γεγονὼς ἔτη, τῷ Θεῷ κελεύσαντος εἰς τὴν Χαναναίαν μετελθεῖν. id eſt, *Cùm jam eſſet annorum* 75, *à Deo monitus ut in Chananæam veniret, Chaldæam relinquit.* Idem libro ſecundo, cap. 6. ab Abrahæ adventu in Chananæam ad Exodum numerat annos quadringentos triginta. Joſephi hanc ſupputationem Euſebius in Chronico ſecutus eſt: *Abraham*, inquit, *cùm* 75 *eſſet annorum, divino dignus habetur colloquio, & eâ repromiſſione, quæ ad eum facta eſt.* Addit, *A ſeptuageſimo quinto anno Abrahæ uſque ad egreſſum Hebræorum ex Egypto, ſupputantur anni* 430, *quorum meminit Paulus Epiſtolâ ad Galatas.* Eandem ſententiam Auguſtinus, Chryſoſtomus, & alii amplexi ſunt: qui nimirum pro certo & indubitato ponunt, vocationem Abrahæ in Chaldæa, & diſceſſum ejus indè, habitationémque in civitate Charan, atque ex ea profectionem in terram Canaan, intra unum eundémque annum eſſe factam. Sed plus uno anno moratum eſſe Abrahamum in urbe Charan, non obſcurè ſignificat Moſes ſcribens, habitâſſe Abramum in Charan, & indè poſtea cùm diſcederet, tuliſſe omnem ſubſtantiam, & omnes animas quas ibi fecerat, videlicet ſervos, quos ibi emerat.

Hanc

Hanc difficultatem vidit Pererius, qui tamen communem ſententiam ſequi maluit. Sic igitur ille, *Abram vocatu & juſſu Dei ex Chaldæa diſceſſit cum patre ſuo Thare, ut irent in terram Canaan. Sed cùm veniſſent in civitatem Charan quæ illis occurrit in itinere, nec pater ultrà progredi vellet, nè patrem deſereret, aliquandiu ibi manſit Abram, quoad ſcilicet eò venit Nachor frater ejus, alter filius Thare: poſt cujus adventum confeſtim Abram mandatum Dei eundo in terram Canaan exequutus eſt.* Vult Pererius, hoc iter Abrami è Chaldæa in Cananæam, interruptum quidem fuiſſe, non verò quinque annorum ſed aliquot duntaxat menſium interpoſitâ morâ, quibus manere in Charan coactus eſt.

Prima urbs Cananææ, in qua ſedem aliquandiu fixit Abram, fuit Sichem: atque inibi Promiſſionem ſuam repetiit Deus; quæ poteſt dici prima earum, quas in Cananæa fecit, ſicut & ibidem primum altare Domino ſtruxit Abram, Gen. 12. 6, 7. Hîc primùm definitè terra Canaan promittitur: *Semini tuo*, inquit, *dabo terram hanc.*

A. M. 2084. *ante Chriſtum* 1919.
ABRAHAMI 77.

ABram Sichimis egreſſus tentorium figit inter Bethel & Hai, conſtructo etiam ibidem altari, ut qui pietati, quàm rei familiari priùs & ſtudioſiùs conſuleret. Bethel nominatur illa urbs prolepticè Geneſeos cap. 12. quæ ſcilicet hoc nomen pòſt accepit à Jacobo Gen. 28. 19. Antea verò Luz dicta fuit, à vicino fortaſſe coryleto.

A. M. 2085. *ante Chriſtum* 1918.
ABRAHAMI 78.

ABram, fame cogente, in Ægyptum deſcendit: ubi vitæ conſulens, Saram ſororem, diſſimulato nomine uxorio, vocabat. Sara ex compacto fratrem quoque Abramum vocans, ad Pharaonem deducitur uxor ejus futura, ob inſignem & miraculoſam in muliere ferè ſeptuagenaria pulchritudinem. Deus, flagellis in Regis domum immiſſis, Pharaonem non ſinit Saram attingere. Pharao igitur Abramo increpito reddit uxorem, Gen. 12.

A. M.

A. M. 2086. *ante Chriſtum* 1917.
ABRAHAMI 79.

ABram ex Ægypto in Cananæam redit, habitátque inter Bethel & Hai, quo loco altare ſecundum conſtruxerat, Gen. 13.

A. M. 2087. *ante Chriſtum* 1916.
ABRAHAMI 80.

ABram ditior ex Ægypto redierat: namque non ſolùm pecore, ſervitio & familiâ amplâ abundabat, ſed etiam auro & argento. Lothus quoque, qui profectus fuerat cum Abramo, admodum dives erat. Cùm igitur ampliores jam eſſent eorum opes, quàm ut ſimul commodè habitare poſſent, Loth Sodomam ſecedit. Poſt Lothi diſceſſum, Deus Abramo promiſſiones renovat, paulo fuſiùs id explicans, quod breviter antea perſtrinxerat, de donatione terræ, & de poſteritatis ejus propagatione, Gen. 13.

A. M. 2088. *ante Chriſtum* 1915.
ABRAHAMI 81.

ABram perluſtrat terram Canaan, quam Semini ſuo promitti audiebat; cùm tamen Deus nondum in ea ullam hæreditatem illi dediſſet, οὐδὲ βῆμα ποδός, ut loquitur Scriptura, Act. 7. 5.

A. M. 2089. *ante Chriſtum* 1914.
ABRAHAMI 82.

ABram perluſtratâ Cananæâ ad Hebronis querceta ſtructo altari tentoria figit. Hic locus *Elone Mamre* dicitur, à Mamre qui fœderatus erat Abrahami. *Elone* alii *querceta*, alii *planitiem* interpretantur. Mercerus putat ſignificare planitiem opacam & nemoroſam, quercubus inſignem. Gen. 13. De civitate Hebron ſcriptum eſt Numer. 13. 22. Hebron ſeptem annis ante Tanim urbem Ægypti condita eſt. Joſephus De Bello Judaico lib. 5. cap. 7. Φασὶν οἱ ἐπιχώριοι τῷδε Χεβρῶν, οὐ μόνον τῶν τῇδε πόλεων, ἀλλὰ καὶ τῆς ἐν Αἰγύπτῳ Μέμφεως ἀρχαιοτέραν. διχόλιά γὲν αὐτῇ, καὶ τριακόσια ἔτη συνηριθμητο. id eſt, *Indigenæ ferunt, urbem Chebron non ejus terræ modò civitatibus, verùm etiam Ægypti Memphi antiquiorem: denique bis mille & trecenti ejus connumerantur anni.* Rabbi Salomon tradit, Hebronis ædificatorem

torem fuisse Cham filium Noë. Tanis Ægypti civitas Psal. 78. Zoan appellatur, vel Soan: unde fit San, & Syriacè Tan, ut docet Drusius. De Memphi, infrà ad Annum Mundi 2266.

A. M. 2090. *ante Christum* 1913.
ABRAHAMI 83.

REges fœderati quatuor erant citra & ultra Euphratem, Amraphel rex Sennaar, Arioch Ellasaris, Chedorlaomer Elamitarum, & Thadal rex Gentium: Ad ripam verò Jordanis alii quinque, Bera rex Sodomæ, Bersa rex Gomorræ, Sineab rex Admæ, Semeber rex Seboim, & quintus rex Belæ, quæ urbs postea Segor dicta est. Hi quinque Reges, cùm annos duodecim Chedorlaomero serviissent, hoc circiter anno rebellantes, solitum tributum negant. Gen. 14.

A. M. 2091. *ante Christum* 1912.
ABRAHAMI 84.

CHedorlaomerus cum suis fœderatis, Sodomitarum perduellium factioni bellum infert, provincias eorum pervastat, & quinq; regibus profligatis familiam eorum, supellectilem, opes, & advenam Lothum inter captivos abducit. His auditis, Abram trecentos duodeviginti vernas armat, adsumptísque ex vicinia sociis aliquot juxta Hemath Reges victores adsequitur, eósque nec opinantes adortus profligat, & rebus omnibus quas abstulerant recuperatis, magnam insuper spoliorum copiam reportat. Redeunti obviàm venit Melchisedech rex Salem (quæ urbs putatur esse Jerusalem:) hic protulit panem & vinum, (erat autem Sacerdos Dei Altissimi) & benedixit Abramo, laudavitque Deum ob Abrami victoriam; cui Abram dedit decimas ex omnibus, Gen. 14. De hac Melchisedeci historia consulas Pererium in hunc locum Geneseos, Riberam in septimum caput Epistolæ ad Hebræos, & Petrum Cunæum De Repub. Hebræorum, lib. 3. cap. 3.

A. M. 2092. *ante Christum* 1911.
ABRAHAMI 85.

DEus Abramo promissiones suas luculentiùs quàm antehac enarrat, & confirmat. Pollicetur, se clypei ac mercedis ampliſſimæ loco ei futurum: apponítque terrenas benedictiones. *Ego sum,*

ſum, inquit, *Dominus, qui eduxi te de Ur Chaldæorum, ut darem tibi terram hanc in hæreditatem.* Addit, futurum, 1. Ut prolem conſequatur Abramus in immenſum excreturam: 2. Ut ſemen ejus aliquandiu ſervitute prematur, quadringenteſimo tamen pòſt anno liberali manu aſſeratur: 3. Ut ipſe interim quietâ ac proſperâ canitie fruatur. Abram hoſtias ſuas θυσίας τελείας, Deo offert, Gen. 15. Hìc igitur Fœdus illud inter Deum & Abramum (quod factum erat Gen. 12.) ſancitur cæſis & porrectis hoſtiarum, ut ait Scaliger; quæ Græcis τέμνια ὅρκια, & διχοτομήματα dicuntur.

A. M. 2093. *ante Chriſtum* 1910.
ABRAHAMI 86.

SArai videns ſe non magìs poſt ſolennem Promiſſionis divinæ confirmationem, quàm antè, ex Abramo concipere, marito perſuadet, ut cum Agar ancilla Ægyptia congrediatur, Gen. 16. Ab Agar dicti ſunt poſtea Agareni, Arabiæ gens, Saracenis vicina; qui à loco ſive regione nomen habuerunt. Eſt enim Saraca, ut apud Stephanum legimus, χώρα Ἀραβίας μετὰ τὴς Ναβαταίους, regio Arabiæ poſt Nabathæos: cujus incolæ Σαρακηνοὶ dicti ſunt. Hoc autem nomen linguâ Arabicâ λῃστικὸς, id eſt, *furaces*, ſignificat. Nam *Sarat, rapuit, furatus eſt:* unde *Saric, fur, latro*; & *Sarca, furtum* vel *rapina*. Igitur Arabes & Iſmaëlitæ, quia furto & rapinis dediti, Saraceni videntur nuncupati. Eoſdem eſſe Saracenos & Agarenos ait B. Hieronymus; quem vide ad cap. 21. Eſaiæ. Idem in Ezechielis cap. 25. dicit, Agarenos aſſumere ſibi falſò nomen Saræ, ut ſcilicet de ingenua & domina videantur eſſe generati. Agarenorum fit mentio Pſalmo 82. & 1. Paralip. 5. Plura de his legas apud Fullerum Miſcell. lib. 2. cap. 12.

A. M. 2094. *ante Chriſtum* 1909.
ABRAHAMI 87.

ISmaël Abrami filius ex Agare ancilla naſcitur annis undecim poſtquam Abramus in Cananæam venerat, Gen. 16.

A. M. 2097. *ante Chriſtum* 1906.
ABRAHAMI 90.

ARphaxad cùm vixiſſet annos quadringentos duodequadraginta, moritur, relinquens Semum patrem ſuperſtitem.

A. M. 2107. *ante Chriſtum* 1896.

ABRAHAMI 100.

QUi priùs dicebatur *Ab-ram*, id eſt, *Pater excelſus*, Dei juſſu nunc vocatur ABRAHAM, quaſi dicas *Ab-rab-hamon*, quod Patrem magnæ multitudinis ſignificat, Gen. 17. Hebræi Doctores obſervant, literam ה, quæ præcipua eſt in Dei ipſius Nomine tetragrammato, Abrami nomini additam. Vide quæ ex Lippomano & Fero affert Pererius. Glorioſum hoc fuit Abrahamo, quòd Deus illum fecerit non unius modò gentis, ſed multarum gentium parentem & auctorem. Illa autem Dei verba, *Patrem multarum gentium conſtitui te*, non ſolùm de carnali paternitate accipi poſſunt, ſed etiam de ſpirituali. Per carnalem enim generationem, multæ gentes ex Abrahamo proſeminatæ ſunt, Hebræos dico, Idumæos, Iſmaëlitas & Madianitas. Atque in hanc ſententiam veteres Judæi uſque ad legem Evangelicam hoc Dei promiſſum intellexerunt. Alter ejus Promiſſionis intellectus de paternitate ſpirituali, pertinet ad omnes mundi gentes aliquando ad Deum per Evangelii prædicationem convertendas, & propter fidem Chriſti (qui filius ſecundum carnem fuit Abrahæ) ſimúlque propter probitatis atque pietatis ejus imitationem, ſpirituales verósque filios Abrahæ appellandos.

Circumciſio inſtituitur. Abraham nonaginta novem annos natus circumciditur, & Iſmaël filius ejus decimum tertium ætatis annum agens. Nomen etiam Sarai mutatur in SARAH. Dicebatur *Sarai*, id eſt, *princeps mea*, quaſi domina ſuæ tantùm & unius familiæ. Sed *Sarah* ſignificat abſolutè Principem: quia futura erat domina & princeps multarum gentium. Deus pollicetur Abrahamo filium ex Sara: quo audito, Abraham riſit: jubet Deus, ab hoc riſu filium naſciturum vocari ISAAC, Gen 17. Riſit & Sara paulo pòſt, diffidens promiſſioni Dei: unde ab Angelo reprehenditur, Gen. 18. Cauſa autem admirationis & diffidentiæ erat non tam ſenium, quàm effœtæ vires Abrahami, & maximè Saræ, quæ nec liberos unquam genuit, & jam defierat habere menſtrua, ut notatur ejuſdem Capitis commate 11. Igitur Sara ubi audivit hoſpites (quos eſſe meros homines putabat) de naſcituro ex ſe filio loquentes, alienum id & contra naturæ ordinem adeóque impoſſibile judicavit,

vit, cùm alioqui de divina potentia non dubitaret.

Tres Angelos ad Sodomam & vicinas urbes evertendas à Deo miſſos Abraham primò, deinde duos illorum Lothus hoſpitio excipit. Lothum hoſpitalem, ſed præ ſocordia cunctantem publico incendio eripit Dei miſericordia, & in Abrahamum benigna clementia. Lothi uxorem diffidentia ſua & perditæ rei familiaris impatiens deſiderium in ſtatuam ſalis commutat. Quam hiſtoriam Poëtæ ſuis de Niobe commentis (ut aliqui putant) inquinârunt. Bela Sodomitici agri urbs minima, quæ idcirco *Soar* vel *Segor* (id eſt, *Parva*) poſtea dicta eſt, Lothi precibus donatur. Loth tamen in ea urbe ſubſiſtere non auſus, in proximum montem ſecedit. Filias ejus tantus ex pavore ſtupor dementavit, ut quaſi toto genere humano extincto ſemen ex patre per fraudem inebriato ſervandum putarent. Ex hoc inceſto concubitu nati ſunt Moab & Ammon; à quibus prognati ſunt Moabitæ & Ammonitæ, duæ gentes potentiſſimæ. Lothi filios appellat Scriptura, Deut. 2. 19. & Pſal. 83. 8.

Non priùs cœpit Deus Sodomam evertere, & in illam regionem cœlitus deſævire, quàm ſaluti Lothi eſſet planè proſpectum. Ubi verò Lothus in urbem Segor perveniſſet, exorto jam Sole, depluit è cœlo Dominus ſulphur & ignem ſuper Sodomam & Gomorram, ſubvertitque has urbes, & totam illam planitiem exuſſit, in qua & aliæ duæ urbes fuerunt, Adma & Seboim. Quintam urbem Soar juxta Lacum Aſphaltitem B. Hieronymus ſcribit ſuo adhuc tempore remanſiſſe. Strabo & alii Græci ſcriptores cauſis naturalibus everſionem hujus regionis tribuerunt; quòd ſcilicet è cavernis ſubterraneis ſulphureis ignis prodierit, tredecim urbes abſumens. Propiùs à vero aberrat Cornelius Tacitus Hiſtor. lib. 5. *Ego*, inquit, *ſicut Judaicas quondam urbes igne cæleſti flagrâſſe conceſſerim, ità halitu lacûs infici terram, corrumpi ſuperfuſum ſpiritum, eóque fœtus ſegetum & Autumni putreſcere reor, ſolo cæloque juxtà gravi. Longo ab Hieroſolymis receſſu*, inquit Solinus cap. 37. *triſtis ſinus panditur, quem de cælo tactum teſtatur humus nigra, & in cinerem ſoluta.* Addit, ibi pomum gigni, quod habeat ſpeciem licèt maturitatis, mandi tamen non poteſt: nam fuliginem intrinſecus favillaceam ambitio tantùm extimæ cutis cohibet: quæ vel levi tactu preſſa, fumum exhalat, & fatiſcit in vagum pulverem. Veram hujus

prodigioſæ cladis cauſam expoſuit Sacra Scriptura, Gen. 18. 20. & 19. 4, 5. Item Ezechielis cap. 16. 49, 50. Vide & Deut. 29. 23. ubi præter Sodomam & Gomorram aliæ duæ urbes à Deo punitæ memorantur. Auctor libri Sapientiæ cap. 10. ait juſtum Lot effugiſſe καταβάσιον πῦρ πενταπόλεως. Illa enim regio Pentapolis quibuſdam appellata eſt, teſte Oroſio, à quinque illis civitatibus, quarum quatuor igne cœleſti arſerunt. Stephanus decem ibi urbes fuiſſe ſcribit, quarum metropolis erat Sodoma. Deſcriptionem Lacûs illius, qui ab aſphalti ſeu bituminis copia ἀσφαλτίτης nominatur, legas apud Flavium Joſephum De bello Judaico lib. 5. cap. 5. Longitudo ejus ab Auſtro in Septentrionem eſt quingentorum octoginta ſtadiorum, ſi vera refert ille, latitudo verò centum quinquaginta. Ergò longitudo lacûs, ut notat Pererius, habet 72 millia paſſuum & quingentos paſſus: latitudo autem propè 19 millia paſſuum. Ex hujus Lacûs ſive maris magnitudine, cladis Sodomiticæ magnitudo debet æſtimari. Quantum enim illius regionis operit hoc Mare mortuum, tantum fuit exuſtum & vaſtatum Sodomitico incendio. Mare mortuum nuncupatur, quia nullum animal gignit, alitve, aut ſuſtinet. In ſacris literis appellatur Mare Salis, Mare ſolitudinis, & Mare campeſtre ſive mare planitiei, propter planitiem & æquabilitatem loci quondam amœniſſimi, & ab amne Jordane uſquequaque irrigati, ac fœcundati. Tantus divinæ indignationis furor ob fœdiſſima incolarum peccata accenſus eſt, ut terra quoque ipſa, quæ illas habuerat civitates, primùm exuſta ignibus, pòſt oppreſſa aquis, in æternam damnationem communi periret aſpectui, ut ait Oroſius.

Abraham, qui in Elone Mamre per annos circiter octodecim egerat, poſt Sodomorum ſubverſionem Geraram ſecedit, quæ Philiſtinorum erat metropolis. Ibi apud regem Abimelechum eandem culpam admittit Abraham, quam priùs apud Pharaonem; & quidem ſimili eventu. Nam uxore ei ademptâ, Rex divinitus objurgatus, punitus, eámque reddere juſſus, inviolatam cum amplis muneribus marito reſtituit, Gen. 20.

A. M. 2108. *ante Chriſtum* 1895.

ABRAHAMI 101.

ISaac Abrahami filius naſcitur exacto præciſè poſt promiſſionem anno, cùm jam centum annos natus eſſet Abraham, annis autem quadrin-

quadringentis ante Exodum, ut rectè Judæi colligunt in Seder Olam, ex Gen. 15. 13. ubi Deus dixit Abrahamo, *Peregrinum erit ſemen tuum quadringentis annis.* Ab Iſaaco enim natò & verſato cum ſuo ſemine in aliena ditione, uſque ad Moſis liberationem, fluxerunt anni 400. Toto hoc tempore ſemen Abrahæ fuit in terra non ſua. Iſraëlitæ quidem in Ægypto vix pluribus quàm centum triginta annis ſunt afflicti, vel ſervitute preſſi: manſerunt autem ibi 210 annis. Quod ergò de quadringentis annis dicitur, non ad afflictionem tantùm in Ægypto, aut ad manſionem ibidem eſt referendum, ſed ad totam peregrinationem ſeminis Abrahami, quæ à nativitate Iſaaci incepit.

A. M. 2110. *ante Chriſtum* 1893.
ABRAHAMI 103.

ISaacum, ut credere par eſt, bimulum ablactat Sara. Eâ occaſione convivium magnum facit Abraham. In eo Iſmaël Iſaacum cum riſu inſectatur. Quamobrem Sara commota dicit marito, *Ejice ancillam hanc & filium ejus: filius enim hujus ancillæ cum Iſaaco hæres non erit,* Gen. 21. Galat. 4. Diſplicuit hoc Abrahamo: tamen Dei juſſu uxori obſequitur; & mox ancillam cum puero ablegat. Hanc lugentem ſolatur Angelus, tum indicato fonte, tum promiſſâ numeroſâ ſobole. De Iſmaëlis progenie legas Gen. 25. Hic poſtea factus eſt peritus τοξότης, habitavítque in deſerto Pharan, & mater ejus deſpondit ei uxorem ex Ægypto. Deſertum illud Pharan videtur non procul fuiſſe à Gerar, ubi tum agebat Abraham. Paulo poſt ejectionem Iſmaëlis, rex Abimelech fœdus inivit cum Abrahamo, ad Beerſeba: quod nomen ſignificat τὸ φρέαρ τῦ ὅρκυ, *Puteum juramenti*; quia ambo ibi jurârunt, Gen. 21.

A. M. 2127. *ante Chriſtum* 1876.
ABRAHAMI 120.

SAla Arphaxadi filius cùm vixiſſet annos 433, moritur, relicto Semo avo ſuo ſuperſtite.

A. M. 2144. *ante Chriſtum* 1859.
ABRAHAMI 137.

ABrahami obedientiam Deus explorat, jubens immolare filium unicum, Gen. 22. Id hoc anno factum notant Judæi in Seder Olam,

Olam, capite primo: *Isaac pater noster pervenerat ad trigesimum septimum ætatis annum, quando super altare ligatus est.* Josephus autem vult, Isaacum tum fuisse annorum 25: Aben Ezra, decem, vel duodecim annorum: quod minùs verisimile est, cùm jam haberet Isaac satìs virium ad bajulanda ligna sacrificio destinata. Pererius Josepho mavult assentiri. Abraham huic Dei mandato, quamvìs durum videretur, non obmurmuravit, sed statim morem gessit. Quàm verò admirabilis fuit hujus sanctissimi Patriarchæ fides, & obedientia, tam detestabilis est eorum immanitas, qui cæcâ Abrahami æmulatione filios suos quantumvìs injussi sacrificârint: Cujus rei exempla vide apud Pererium in Gen. 22. In monte Moria, qui locus est ubi Abraham filium mactaturus erat, & postea arietem cornibus inter vepres hærentem obtulit, Templum Salomonis constructum legimus, 2. Paralip. cap. 3. Terram Moria Latinus Interpres Terram Visionis reddidit, Septuaginta τὴν ὑψηλήν, Symmachus autem, τῆς ὀπτασίας, quasi à verbo *Raa* (id est, *vidit*) deducatur; vel quòd terra illa altior procul conspiceretur; vel potiùs, ut Mercerus existimat, quòd Abraham Isaaco filio petenti ubi esset holocausti victima, respondisset provisurum de eo Dominum. Rupertus contendit, non aliam ob causam dictam esse Terram Visionis, nisi quia Deus ibi se videndum exhibuit Abrahæ, eúmque respexit; duplici sanè respectu, tum misericordiæ, vetans immolare filium; tum beneficentiæ, tantam ejus obedientiam amplissimorum bonorum magnificentissimis promissionibus remunerans. Addit Mercerus, illo eodem loco postea passum esse Christum, cujus typum tunc gerebat Isaac à patre oblatus. Scripsit quidem B. Hieronymus, teste Augustino, se à senioribus Judæis certissimè cognovisse, quòd ibi immolatus sit Isaac, ubi postea Christus crucifixus est. Verùm mons Calvariæ extra urbem Jerusalem erat, & diversus à monte Moriah, super quo Templum ædificatum est: sed quia propinqui erant, & fortasse ejusdem totius montis partes (ut advertit Pererius) pro uno monte accipi possunt. Postquam verò Abraham huic loco, ubi sacrificaturus erat filium, dedisset nomen יהוה יראה, hoc est, *Dominus providebit:* ex illo *Jereh*, & vetustiore appellatione *Salem*, formatum est nomen *Jerusalem*, visionem pacis denotans. Urbem eam priùs Salem appellatam esse, colligit Masius ex divini Vatis verbis Psal. 76. 2. Apud Josephum urbs,

quam

quam Moſes appellavit Salem, cujus regem facit Melchiſedec, Solyma nominatur, Antiquit. lib. 1. cap. 11. Τὴν μέντοι Σόλυμα, inquit ille, ὕστερον ἐπίκλησιν ἱεροσόλυμα. id eſt, *Hanc urbem Solyma poſterior ætas Hieroſolyma vocavit.* Illud autem Solymorum nomen, ſi unquam eſt à bonis ſcriptoribus iſti urbi accommodatum, à vetere Salem corruptum eſſe, non dubito; etſi Stephanus à Solymis montibus (qui in Piſidia quærendi ſunt) Hieroſolymis nomen inditum ſcribat. Alii τὸ ἱερὸν Σολομῶνος urbi nomen dediſſe putârunt.

A. M. 2145. *ante Chriſtum* 1858.
ABRAHAMI 138.

SAra decennio junior Abrahamo, cùm vixiſſet annos 127, moritur Hebrone, quæ olim Cariath-arba dicta, id eſt, Civitas-Arba. Vide Joſuë 14, & 15. Uxorem mortuam plangit Abraham: deinde emit agrum ſepulturæ à filiis Heth. Fuit autem Heth unus ex filiis Canaan. Prima poſſeſſio, quam Abraham ſibi in terra Canaan comparavit, erat ſepulcralis hæc, ad ſepeliendam Saram empta, cùm hactenus nè veſtigium pedis poſſediſſet, Gen. 23. Hebronem jam redierat Abraham, cùm priùs in Beerſeba degiſſet, ubi ipſe & rex Abimelech fœdus inierant.

A. M. 2148. *ante Chriſtum* 1855.
ABRAHAMI 141.

ISaac Abrahæ filius, Tharæ N. annos quadraginta natus ducit uxorem Rebeccam, patruelis ſui Bathuelis filiam, Nachoris neptim, Tharæ proneptim, Gen. 24, & 25. Rebeccam quatuordecim annorum tum fuiſſe, quando nupta eſt Iſaaco, tradunt Judæi in Seder Olam Rabba, cap. 1.

A. M. 2149. *ante Chriſtum* 1854.
ABRAHAMI 142.

INachus, primus Argivorum rex, circiter hoc tempus regnare incipit, regnátque annos quinquaginta, Euſeb. Hic Inachus ex Meliſſa ſorore ſua genuit Phoroneum, Ægialeum, & Io primam. Vide Apollodorum Bibliothecæ libro ſecundo. Apud Suidam legimus, Inachi filiam, quæ Io dicta eſt, à Pico Jove raptam, præ dolore interiiſſe: cui patet & fratres templum condiderunt, &

locum de nomine ejus Iopolin appellârunt. Ibidem legimus, Inachum Argivorum regem condidisse urbem εἰς ὄνομα τῆς σελήνης ἰοῦς. Argivis enim Lunam Ἰὼ vocatam fuisse. Hinc apparet, Io primam & Io secundam veteribus confundi. Nam quæ Ægyptum pervenit, & Isis dicta fuit (quo nomine Lunam significabant) est altera ab Inachi filia. De secunda Ione, dicemus ad Annum Mundi 2469. *Inachus, Lactens* est, vel *Ramus tener*: à נחנח, *fugere*.

A. M. 2160. *ante Christum* 1843.
ABRAHAMI 153.

SEm moritur anno ætatis sexcentesimo secundo, & quidem, ut credibile est, in Asia, quam plerique posterorum ejus incoluerunt: videlicet, Elam juxta Persidem, Assur in Assyria, Lud in Lydia, in Syria Aram. Semi fratres Japhet & Cham quando decesserint, non constat.

A. M. 2168. *ante Christum* 1835.
ABRAHAMI 161.

ISaaco jam sexagenario gemelli nascuntur Jacob & Esau, uterque ex Rebecca, eodem partu, ut narrat Moses Gen. 25. Esau, qui prior in lucem editus est, nomen ex eo habuit, quòd ex utero quasi jam adultus prodierit, perfectus pilis, tanquam aliquot annorum puer: unde & *Seir* (id est, *Hirsutus*) dictus est. Ab eo postea mons Seir appellatus fuit; nisi potiùs ab arborum comis hirsutis, quasi ὑλόκομος. Tamen fuit & alter Seir princeps Hivæorum sive Horæorum, cujus terram occupavit Esau. Vide Gen. 36. & Deut. 2. Sed & Edom postea nuncupatus est ipse Esau, à jusculo rubro, quod appetivit, Gen. 25. Idem tamen ubi primùm natus est, hoc nomine dignus videri potuit. Quia enim frequenti pilo, eóque rubro aut rufo hirsutus ex matris utero prodierat, insitam jam tum in corpore suo causam nominis Edom gestabat; quæ postmodum insigni illo eventu jusculi rubri expetiti, & juris Primogeniti simul venditi, rursus renovata & confirmata, æquè cunctorum sermone celebratum reddidit nomen hoc Edom, atque illud Esau, ut notat Fullerus Misc. lib. 4. cap. 20.

Jacobo nomen impositum est ex eo quòd fratrem ἐπτέρνισεν, hoc est, quia fratris calcaneum prehendit. Colluctabantur enim parvuli

vuli in matris utero: cúmque Esau prior prodiret, plantam ejus tenebat frater, quasi obstans nè prior ex utero egrederetur. Illâ nimirum retentione plantæ Esau indicabatur, collisionem infantium in utero, factam esse ob principatum nativitatis occupandum. Jacob tenebat plantam Esau, quasi occupare volens egressum ex utero, & jus primogenituræ. Cujus rei meminit etiam propheta Hoseas cap. 12. Hebræis calx *Akeb* dicitur: unde Jaakob, ὑποχλίζων. Ipse Esau fratrem Jacobum hoc nomine dictum autumat, ob fraudem, quâ illum supplantavit, Gen. 27. 36. Nam *Akob* etiam *fallacem* vel *fraudulentum* significat.

A. M. 2182. *ante Christum* 1821.
ABRAHAMI 175. *JACOBI* 15.

ABraham annum ætatis centesimum septuagesimum quintum agens, fatur dierum obit; quem duo filii Isaac & Ismaël sepelierunt in spelunca, quam ipse emerat à filiis Heth; ubi & Sara uxor ejus fuit sepulta. Post Saræ mortem Abrahamus aliam duxerat uxorem, nomine Keturam: quam tamen Hebræi opinantur non aliam fuisse mulierem, nisi Agar Ismaëlis matrem; hanc enim revocatam fuisse post Saræ obitum, & de concubina transiisse in uxorem. Hanc Hebræorum opinionem B. Hieronymus commemorans, nec probat, nec improbat. Sed cùm Abraham usque eò in senectute processisset, ut non minor tunc esset, quàm 140 annorum, non duxisset in ea ætate uxorem, nisi adolescentulam, ex qua videlicet filios generare posset. Erat autem id temporis Agar annorum circiter octoginta. Vix autem credibile est, Abrahamum jam penè decrepitum, ex Agar jam octogenaria tot filios generare potuisse. Ex Ketura eum sex filios procreâsse narrat Moses Gen. 25. Voluit autem Deus, ut Abraham novam in extrema ætate sua uxorem duceret, quò magnifica illa sua Promissio de numerosissima multarum gentium ex Abrahami stirpe futura propagatione, cumulatiùs perficeretur. Hoc enim Dei promissum, partim quidem per Ismaëlem, partim per Isaac, sed mirandum in modum per filios Abrahæ ex Ketura susceptos, expletum est; qui scilicet variarum gentium & regnorum satores, ac parentes fuerunt. Ex horum uno filiorum, cui nomen Madian, quinque orti sunt filii, nepotes Abrahæ; qui Madianitarum regnum condiderunt. Horum unus Epher

sive Opher cum exercitu profectus Libyam occupâsse fertur, quæ indè Aphrica dicta est. Ità quidem scribit Josephus ex Veterum quorundam sententia. Verùm ab עפר Afros ego dictos esse existimo, quòd pulverulentam habitarent regionem: quò respexit Poëta, ubi sitientes Afros dixit. Est autem Afrorum terra, Romanis Africa vocata: quo nomine non totam Libyam primitus intelligebant, sed eam partem, ubi Carthago sita fuit.

A. M. 2188. *ante Christum* 1815.
JACOBI 21.

EBer Salæ filius, Arphaxadi N. Semi pronepos, cùm vixisset annos quadringentos sexaginta quatuor, moritur, ídque (ut videtur) in Abrahami trinepotis sui domo, in Isaaci & Jacobi sinu. Quæ causa esse potuit, cur Abrahami, maximè verò Jacobi posteri, Hebræi dicerentur. Mercerus Heberum in Chaldæa quidem aut circa eam degisse arbitratur, & tamen puritatem linguæ cum puritate cultûs divini retinuisse. Vide quæ suprà diximus ad Annum Mundi 1723.

A. M. 2199. *ante Christum* 1804.
JACOBI 32.

PHoroneus Inachi filius, secundus Argivorum rex, annos sexaginta regnâsse dicitur. Hic totius regionis (cui postea Peloponneso nomen fuit) imperio potitus, ex Laodice nympha Apin & Nioben procreavit. Niobe prima est earum mulierum, quas amavit Jupiter, qui ex ea Argum genuit: à quo tota ea peninsula Argos nominata olim fuit, & incolæ Ἀργεῖοι. Ægialeus Phoronei frater ἄπαις decessit: à quo pars regionis illa, cui præfuit, Ἀχαΐα dicta. Vide Apollodorum libro secundo.

Argivos antea dispersos & seorsum habitantes (ut ait Pausanias) in unius civitatis jus compulit Phoroneus. Hunc igitur, cujus meminit & Plato in Timæo, leges & judicia Argivis constituisse, aiunt. Quò spectant verba Tatiani, Μετὰ δὲ Ἶναχον, ὅτε διεφθάρησαν μόγις τῶν ὀνειδῶν ἐν καὶ τοιαῦτα μετρεῖσθαι ἤρξατο· κατεστήσατο δὲ καὶ τὸν ἄνθρωπον. id est, *Post Inachum autem vita sub Phoroneo ferina & pastoralis hominum vita mitior & elegantior facta est.* Quapropter Acusilaus Argivus Phoroneum primum hominem fuisse scripsit, ut est apud Clemen-

tem

tem Stromat. 1. Eundem Phoroneum πατέρα ὅλων τῶν ἀνθρώπων dixit Phoronidis Auctor. Propterea etiam Nonno Phoroneus ἀρχήγετος dicitur, tanquam auctor generis humani. Hyginus ait Phoroneum aram Junoni primum feciſſe, & ob eam cauſam regnandi poteſtatem primum habuiſſe. Quod ex ipſo Hygino refert vetus Statii Papinii Interpres ad illud, Thebaidos quarto, -- *mitiſque Phoroneus.*

Telchines & Caryatæ adverſus Phoroneum & Parrhaſios bellum moverunt, Euſeb. Hujus belli mentio fit apud Oroſium lib. 1. cap. 7. ubi tamen nomina depravatè leguntur. Καρυᾶται & Παῤῥάσιοι ambo ſunt populi Arcadiæ. Telchines in Peloponneſo primùm videntur habitâſſe: unde Sicyon olim Τελχινία dicta eſt, teſte Stephano. Ejecti autem ex Peloponneſo in Cretam migrârunt.

A. M. 2208. *ante Chriſtum* 1795.
JACOBI 41.

ISaac tempore famis in Ægyptum cogitans, apud Abimelechum regem Palæſtinorum, monente Deo, ſubſtiterat. Ibi Iſaac cùm uxorem diſſimulando in diſcrimen perdendæ pudicitiæ objeciſſet, ab Abimelecho reprehenſus eſt. Quam hiſtoriam narrat Moſes Gen. 26. Sed quo anno id acciderit, non conſtat. Abimelechum hunc eundem eſſe, qui olim Saram concupierat, innuit Joſephus. Quod ſi verum eſt, plus centum annos ille regnavit; ſiquidem Iſaac jam nonagenarius fuit, vel, ut aliqui putant, propè centenarius. Alius ergò videtur eſſe hic Abimelech, filius fortaſſe illius, cujus mentio Gen. 20. Phicol dux militum potuit & patris & filii temporibus vivere. Quidam conjectant, Phicol commune fuiſſe nomen ducum exercitûs in Palæſtina, quaſi ex quorum ore cæteri omnes penderent. Sed & nomen *Abimelech*, quod *Patrem regem* ſignificat, commune tum Regum Palæſtinæ fuit, ut ait B. Hieronymus, quemadmodum nomen Pharaonis commune erat Regum Ægypti. Hæc ſententia firmatur ex titulo Pſal. 34. ubi rex Achis vocatur Abimelech. Ad eum locum ſic ſcribit magnus ille Baſilius, Οἱ βασιλεῖς τῶν ἀλλοφύλων κοινὸν εἶχον ὄνομα τὸ Ἀβιμέλεχ. id eſt, *Reges alienigenarum* (Philiſtinorum ſcilicet) *communi nomine Abimelech vocabantur.*

Eſau, qui & Edom, quadraginta annos natus nuptiis animum

adjicere incipit. Una, eáque fortè prima ejus uxor dicebatur Aholibama, & alio nomine Judith: erat autem filia Beeri Chettæi, qui & alio nomine Ana dictus est, mulorum inventor. Hujus Anæ pater fuit Sibon dux Horæorum. Altera Esaui uxor fuit Hada Elonis Chettæi filia, quam & Basmat vocavit, quasi dicas εὔοσμον, merum aroma fragrantem. Tertia ejus uxor fuit Mahalat, Ismaëlis Abrahamidæ filia, soror Nebaioth: sed & hæc Basmat nominata est. Hinc conciliari possunt tria Mosis loca in speciem pugnantia, Geneseos 26. 34. & 28. 8. & 36. 2.

A. M. 2231. *ante Christum* 1772.

JACOBI 64.

ISmaël Abrahami filius moritur anno ætatis 137. cujus progeniem numerosam commemorat Moses Gen. 25. *Non dubitârim*, inquit Mercerus, *Ismaëlem vivente patre sese veræ Ecclesiæ apud illum aggregâsse, verum Dei cultum retinuisse, ac in Dei promißiones sperâsse, licèt promißiones alioqui speciales de Semine benedicto ex Abrahamo propagando ad eum non pertinerent, & alienus à fœdere Dei, quod ad hoc attinet, haberetur.*

Primogenitus Ismaëlis fuit Nebaioth: à quo Nabathæi dicti, & Nabathena tota illa regio ab Euphrate usque ad Mare Rubrum, quæ est pars Arabiæ Petrææ à Petra metropoli sic appellatæ. Μετρόπολις δὲ τῶν Ναβαταίων ἐστὶν ἡ Πέτρα καλουμένη, inquit Strabo lib. 16. Ibidem tamen dicit, Nabatæos & Sabæos τὴν εὐδαίμονα Ἀραβίαν, id est, Felicem Arabiam incoluisse: &, Nabathæam regionem populosam esse, ac pascuis abundantem. Quæ Strabonis verba citavit Eustathius: ἡ Ναβαταία, πολύανδρος οὖσα ἡ χώρα, καὶ εὔβοτος. Videtur legendum, πολύαρνος. Est enim regio frugum inops, plena pecorum, teste B. Hieronymo. De Nabathæis quædam habes apud Diodorum libro 19. *Nebaioth, germina* significat; à *Nabath*, id est, *germinavit*, linguâ Arabicâ. Igitur *Nabatai* sonat *Germinantes*, florentes, opibus scilicet, potentiâ, & rei bellicæ gloriâ. Cùm cæteri Arabes ἀβρόβιοι essent, mollitiâ scilicet infames, ac imbelles; Nabatæi animos viriles gerebant, & ob id Dachareni dicti sunt, id est, ἀρσενικοὶ, masculi, ut notat Eustathius ad Dionysii περιήγησιν. Stephanus: Σημαίνει δὲ τὸ Δαχαρηνοὶ ἀρσενικούς. Ità legendum monuit Nicolaus Fullerus. Nam *Dachar* Arabicè, *masculus*; quod Hebræis *Zachar*. Kedar Ismaëlis filius, Cedarenæ regioni in Arabia Deserta nomen dedit.

dedit. Ejus fit mentio Psal. 120. & passim apud Prophetas. Significat *Kedar nigrum*, vel *obscurum*: quod & Etymologici Auctor notavit: Κεδὰρ, τὸ σκοτεινόν. Salomon etymon vocis respexit, Cantic. 1. 5. *Fusca ego, sed decora, sicut tentoria Kedar.*

A. M. 2244. ante Christum 1759.
JACOBI 77.

DIluvium in Græcia contigit, sub Ogyge, annis 248 ante Deucalionéum cataclysmum. Ità vetus Chronologus apud Cedrenum. Clementi Alexandrino ὁ ἐπὶ Ὠγύγιου κατακλυσμὸς memoratur lib. 1. Stromateôn. Ogygus sive Ogyges Thebas Bœotias condidisse fertur, qui regnare cœpit circa Annum Mundi 2208. Julius Africanus ex Hellanici, Philochori, Castoris, Thalli, & Diodori Siculi scriptis ostenderat, Ogygis diluvium viginti & mille annis ante primam Olympiadem fuisse. Vide Eusebium Præparationis libro decimo sub finem. Phoronei temporibus id accidisse, docet Tatianus: Κατὰ Φορωνέα τὸν μετ' Ἴναχον, μνημονεύεται παρ' Ἀθηναίοις Ὤγυγος, ἐφ' οὗ κατακλυσμὸς ὁ πρῶτος. id est, *Phoroneo Inachi successori æqualis fuit Ogygus apud Athenienses, sub quo primum Diluvium contigit.* Ante annos Urbis conditæ 1040, ut scribit Paulus Orosius, in Achaia sævum diluvium vastatione plurimâ totius penè provinciæ fuit. Numerat hos annos Orosius, ab initio regni Ogygis, ut putat Cappellus. Hoc autem diluvium Ogygianum (ut notat Pererius) sic inundavit vastavítque universam regionem Atticam, ut eam reddiderit per 200 annos incultam, atque inhabitatam.

Ogygis multi scriptores meminerunt, Lycophron, Varro, Nonnus, Justinus Martyr, & Servius ad Virgilii Eclogam sextam. Atticæ urbem Eleusinem ab Eleusine Ogygis, ut quidam putârunt, filio conditam scribit Pausanias, Atticis. Idem auctor Ogygum in Thebaïde regnâsse prodidit. Verba ejus, in Bœoticis: Γῆν δὲ τὴν Θηβαΐδα οἰκῆσαι πρῶτον λέγουσιν Ἐκτῆνας, βασιλέα δὲ εἶναι τῶν Ἐκτήνων ἄνδρα αὐτόχθονα Ὤγυγον, &c. hoc est, *Ectenas primos Thebaïdis incolas fuisse tradunt, quorum rex fuerit Ogygus, homo indigena. Ab eo nempe Thebas Ogygias cognomine appellant Poetæ. Periisse hunc populum ferunt pestilentiâ: successisse in eas sedes Hyantas & Aonas, gentes (opinor) Bœoticas, non alienigenas.* Hæc ille. Apud Lycophronem Ἐκτήνων nomine Thebani intelliguntur: quo modo & Thebanorum principes Ἐκτήνων προμά-

χους.

χως dixit Nonnus Dionysiacôn quinto. Alalcomenia Ogygi filia Minervam dicitur nutriisse: quod & à Pausania proditum est: unde Homero Ἀλαλκομενὶς Ἀθήνη cognominatur. Minervam sanè tempore Ogygis apud Tritonem (qui Boeotiæ fluvius est) vel apud Lacum Tritonidem apparuisse, Veteres scripserunt. Porrò, ingens in cœlo portentum temporibus Ogygi factum perhibetur. Stella namque Veneris visa est mutâsse cursum suum, colorem, figuram, & magnitudinem; ut ex Castore chronographo, & antiquorum mathematicorum observationibus retulit M. Varro: cujus verba legas apud Augustinum De Civit. Dei, lib. 21. cap. 8. Sed & ante Ogygum Calydnus Thebis regnâsse fertur: unde Poëta Chalcidensis urbem eam Καλύδνιον πύργον, Calydni turrim vocavit. Sicut autem ἀγήρων pro antiquo usurpârunt Poëtæ, ità & καλυδνᾶον Hesychius ἀρχαῖον interpretatur.

A. M. 2246. ante Christum 1757.
JACOBI 79.

ISaac annos 138 natus jubet Esauum venatum ire, & cupedias sibi conficere, ut hoc obsequio provocatus ei benediceret. Dum venatur ille, Isaaci uxor Rebecca duobus hœdis mactatis conficit cupedias, quales ab Isaaco amari sciebat, Jacobum filium suum Esaui vestibus induit, manus ejus & collum pellibus hœdinis operit, jubétque cibos à se paratos ad patrem ferre. Isaac, caligantibus oculis, jubet filium propiùs accedere, manus ejus palpat: *Vox*, inquit, *vox est Jacobi, manus autem sunt manus Esaui.* Ità Jacobo tanquam primogenito benedicit. Esau à venatione reversus conqueritur, odio Jacobum fratrem prosequitur, cujus fraudi suum ὕσγημα imputat. Rebecca Jacobum declinandæ fratris iræ se ad Labanem recipere jubet. Laban Rebeccæ frater, Bathuelis filius, Nachoris nepos, Tharæ pronepos, in Mesopotamia habitabat. Eò proficiscens Jacob in itinere, cùm sub dio pernoctaret, scalam in somnis videt cœlum attingentem, & divinam benedictionem accipit. Hinc in Mesopotamiam ubi pervenit Jacob, Labani avunculo servit gratis mensem integrum: Dein paciscitur, & pollicetur, se integram annorum hebdomadem pro Rachele Labanis filia serviturum, Gen. 27, & 28.

A. M.

A. M. 2253. *ante Christum* 1750.

JACOBI 86.

JAcob expleto servitii sui septennio Rachelem uxorem à Labane postulat. Laban Rachelis loco Leam filiam natu majorem substituit. Rachelem verò etiam illi dare non recusat, eâ lege, ut alterum septennium serviat. Cùm Jacob Rachelem magis amaret, ex Lea liberos gigneret, altera uxor alteri invidet; & in tantum efferbuit æmulatio, ut primò Rachel, deinde & Lea suam ancillam marito daret. Ità Jacob intra septennium ex Lea septem liberos, ex Bilha Rachelis ancilla duos, ex Zelpha Leæ ancilla totidem, ex ipsa Rachele unum habuit. Quorum natales hoc ordine ponimus.

Anno Mundi

2253	Octobris	6	Nuptiæ factæ fuerint.			
2254	Maii	7	ex Lea nascitur	Reuben	qui vixit annos	124.
6255	Martii	7		Simeon		120.
2256	Januarii	7		Levi		137.
	Octobris	7		Judah		119.
	Octobris	8	ex Rachelis ancilla	Dan	qui vixit annos	127.
2257	Augusti	8		Nephtali		
2258	Maii	8	ex Leæ ancilla	Gad	qui vixit annos	126.
2259	Februarii	9		Aser		
	Februar.	10	ex Lea rursus	Issachar	qui vixit annos	122.
	Decem.	10		Zabulon		124.
2260	Octobris	1		Dina		
	Octobr.	11	ex Rachele Joseph, qui vixit annos 110.			

Quot vixerint annos Joseph & Levi, Scriptura docet: de cæteris tacet. Nè Judæi quidem tradunt, quàm diu vixerint Nephtali, Gad, Dina. Reliquorum annos ex Chronico Judæorum Minore apposuimus.

A. M. 2260. *ante Christum* 1743.

JACOBI 93.

RAchelis tandem preces exaudit Deus, eique vim concipiendi largitur, ut legimus Gen. 30. 22. Itaque nascuntur Leæ quidem Dina filia, Racheli verò filius Joseph exeunte septimo anno, cùm Jacob annos jam quatuordecim socero Labani serviisset.

Rectè igitur Euſebius notavit, primo anno Joſephi Jacobum fuiſſe nonaginta duorum annorum, abſolutorum ſcilicet, cùm jam ingrederetur annum nonageſimum tertium. Dehinc incipit Jacob pactâ mercede ſocero ſervire, eâ ſcilicet lege, ut modò nigræ, modò maculis grandioribus interſtinctæ, modò quaſi grandine conſperſæ pecudes ſint Jacobi. Quoties Laban Jacobum circumſcribere cogitat, mutatâ mercedis formâ, toties experitur non eſſe conſilium adverſus Dominum.

Apis Phoronei filius, Argivorum rex tertius, regnat annos triginta quatuor. Is, regno in tyrannidem commutato, peninſulam illam, quæ pòſt Peloponneſus dicta eſt, Apiam ſuo de nomine vocari juſſit, ut ſcribunt Apollodorus & Pauſanias. Apin Æſchylus in ſupplicibus ἱκτεύμαντιν fuiſſe vult, qui regionem noxiis beſtiis purgaverit: in cujus beneficii accepti memoriam Ægialenſes ab eo terram Ἀπίαν vocârint. Rhianus Poëta, de Phoroneo: -- τῷ δὲ κλυτὸς ἐκγένετ' Ἄπις, Ὃς ῥ' Ἀπίην ἐφάπξε, καὶ ἀνέρας Ἀπιδναίους. Citat Stephanus, ut doceat Argos Apiam ab Apide Phoronei filio, & incolas Ἀπιδναίους appellari. Apis autem demum Thelxionis & Telchinis inſidiis proditus, ſine liberis exceſſit è vita, & in deos relatus, Sarapis appellatus eſt. Sic enim ſcribit Apollodorus initio libri ſecundi: Ἄπις ὑπὸ Θελξίονος καὶ Τελχῖνος ἐπιβαλευθεὶς, ἄπνους ἀπέθανε· καὶ νομισθεὶς θεὸς, ἐκλήθη Σάραπις. *Sar* linguâ antiquiſſimâ eſt ***Dominus***, vel ***Princeps***. Solent verò confundi tres ejuſdem nominis, Apis Argivus, Apis Sicyonius, & Apis Ægyptius, qui ſub vivi bovis imagine colebatur. Diodorus ait Bovem Oſiridi dedicatum, Apin Ægyptiis dici. Imo Apis Ægyptius, eſt ipſe Oſiris, ſi vera narret Strabo libro ultimo: *Memphis*, inquit, *Apidis templum habet*, ὃς ἔστιν ὁ αὐτὸς καὶ Ὄσιρις. Græcos verò Apin Ægyptium cum Epapho confudiſſe, teſtatur Herodotus libro tertio. Apis à facie virili, vel à vultu iracundo dictus videtur.

A. M. 2266. *ante Chriſtum* 1737.
JAC. 99. *JOSEPHI* 7.

JAcob in patriam redit ſexennio poſt natum Joſephum, cùm annos ſolidos viginti Labani ſerviiſſet. In itinere cum Angelo luctatur, & nomen ISRAEL ei imponitur, Gen. 32. 24. Eſau Jacobo fratri redeunti obviàm venit. Jacob à fratris ira liberatus, in Cananæam

nanæam cum uxoribus & liberis ubi pervenit, non procul à Sichem tuguria excitat: unde & nomen illi loco indidit *Succath*, à tabernaculis ſcilicet ſeu tuguriolis, quæ ibi fecerat, Gen. 33.

Memphis celeberrima in Ægypto urbs, circa annum Jacobi centeſimum condita eſt. Euſeb. Hujus urbis conditor fuit Uchoreus rex, quem ab Oſymandya Rege octavum eſſe tradit Diodorus, lib. 1. Τῶν δ' τότε τὸν βασιλέως ἀπογόνων ὄγδοος ὁ προσαγορευθεὶς Ὀυχόρεὺς ἔκτισε πόλιν Μέμφιν, ἐπιφανεστάτην τῶν κατ' Αἴγυπτον. id eſt, *Ex progenie hujus Regis Oſymandyæ octavus, nomine Uchoreus, Memphin condidit, urbium Ægypti clariſſimam.* Addit, hanc urbem tam opportunè ſitam eſſe, ut plerique omnes Reges poſteriores, Thebis poſthabitis, aulam & habitationem regiam eò transferrent. In ſacris literis hæc Ægypti civitas Noph appellatur, & Moph, Hoſ. 9. Hinc additâ Græcâ terminatione, Μέμφις vocata eſt, & Judæis recentioribus Mephim.

Rhodum Telchines, circa annum ſextum Apidis Argivi regis, condiderunt. Euſeb. Telchines enim victi primò in Cretam, deinde in Cyprum, & ex Cypro Rhodum migrârant. Rhodus initio dicta fuit Ophiuſa, à ſerpentibus ſcilicet, qui eam infeſtabant: poſtea autem Τελχινίς, ab inhabitantibus eam Telchinibus. Hos nonnulli faſcinatores & præſtigiatores fuiſſe aiunt: alii eos ab æmulis hoc infamiæ retuliſſe putant, cùm eſſent artibus excellentes. Vide Strabonem libro 14. Telchinas Rhodum primos tenuiſſe, ſcribit Diodorus lib. 5. eóſque Deorum ſtatuas fabricâſſe, & artium quarundam inventores fuiſſe.

A. M. 2268. *ante Chriſtum* 1735.
JAC. 101. *JOS.* 9.

JUdas patriarchà, Jacobi filius, annum ætatis decimum tertium agens uxorem videtur duxiſſe, ex qua filium Er ſuſcepit, anníſq; proximè ſequentibus, Onan & Selah, Gen. 38.

A. M. 2274. *ante Chriſtum* 1729.
JAC. 107. *JOS.* 15.

ÆGyptiorum Dynaſtiis ſeptemdecim fabuloſis omiſſis, quibus annorum ferè quatuor millia tribuunt, duodeviceſima Dynaſtia non incommodè circa hunc 107 Jacobi annum poterit

 inchoari,

inchoari, ut putat Cappellus. Hujus 18 Dynastiæ princeps Amos (qui & Amosis) annis viginti quinque regnâsse dicitur.

A. M. 2276. *ante Christum* 1727.
JAC. 109. *JOS.* 17.

DIna filia Jacobi rapta & vitiata est à Sichem Hemoris Hivæi filio, principe civitatis illius, quæ & Sichem de nomine ejus dicta est. Hanc ob causam Simeon & Levi fratres Dinæ, Sichemitas dolo circumventos interfecerunt, urbémque vastârunt. Vide Gen. 34. Demetrius, cujus verba ex Alexandri Polyhistoris scriptis affert Eusebius Præparationis libro nono, ait, Israelis filiam Dinam, cùm esset annos sexdecim nata & menses quatuor, raptam fuisse à Sichem Hemoris filio: & aliquanto pòst natum esse Benjamin ex Rachele, quæ ex partûs dolore obiit, cùm annos viginti tres marito convixisset. Rachelis amissæ desiderio auctus fuit Jacobi amor in filios ex ea susceptos, maximè in Josephum, cujus somnium & mores mira pollicebantur. Hinc fratrum invidia tam ferox, ut Josephum ipsos invisentem cùm greges in solitudine pascerent, occidere cogitarent. Huic eorum consilio cùm Reuben obstaret, in puteum aquâ vacuum demissus est. Mox è puteo extractum Ismaëlitis mercatoribus eum vendiderunt. Mercatores Josephum in Ægyptum abducunt, ibíque eum vendunt Putiphari Ægyptio, Gen. 37.

A. M. 2280. *ante Christum* 1723.
JAC. 113. *JOS.* 21.

ER Judæ filius annos duodecim natus ducere potuit uxorem Thamarem: sed quia malignus erat, à Deo occiditur. Eodem vel sequenti anno Thamar nubere potuit Onani, alteri Judæ filio; qui & ipse ob peccatum morte punitur. Horum pater Judas, primò quidem in animo habuit, tertium filium Selam Thamari dare: mox autem veritus, nè fato quodam illa omnes maritos absumeret, consilium mutavit, cùm tamen neque mentem suam nurui aperiret, neque facultatem ei concederet alteri cuipiam nubendi, sed eam vanâ tertii conjugii spe lactaret, Gen. 38.

A. M.

A. M. 2283. *ante Christum* 1720.
JAC. 116. *JOS.* 24.

THamar Judæ nurus videns Selam promissum sibi non dari, meretricem mentita coram Juda se sistit, & ab eo compressa, geminos Pharezum & Zaram anno sequente parit. Juda errore agnito deinceps à nurûs contactu abstinuit, Gen. 38.

A. M. 2286. *ante Christum* 1717.
JAC. 119. *JOS.* 27.

JOseph ab uxore Putipharis per calumniam accusatus in carcerem conjicitur, & anno sequenti Aulicorum somnia explicat, Gen. 39.

A. M. 2287. *ante Christum* 1716.
JAC. 120. *JOS.* 28.

ISaac Abrahami filius, annos centum & octoginta natus, vel annum 180 agens, è vita excedit, decem circiter annis antè quàm Jacob in Ægyptum descenderet. Isaaci obitum Moses per anticipationem commemorat Gen. 35. Sepelitur Isaac in Hebron, in sepulchro patris sui, ut moris erat. Duo autem filii ipsius, Esau & Jacob, eum sepelierunt: Unde colligi potest, Esauum fratri reconciliatum se Ecclesiæ adjunxisse, nec alienum fuisse à Dei gratia, sed tantùm à fœdere particulari, quod & de Ismaële suprà dictum est.

Post discessum Jacobi in Mesopotamiam, Esau, sive ex illa animi commotione ob præreptam sibi benedictionem, sive quòd videret uxores suas Isaaco & Rebeccæ displicere, è terra Canaan discesserat in montem Seir. Post reditum verò Jacobi, factâ inter fratres concordiâ, reversus est & ipse Esau in terram Canaan, patríque morienti adfuit, & unà cum fratre curavit paternum funus. Factâ autem paternorum bonorum divisione, cùm uterque fratrum valde esset locupletatus; Esau, nè præ multitudine gregum & armentorum, terra parùm sufficeret ambobus, simul etiam captus amore prioris habitationis, quæ exercitio venandi opportunior erat, dereliquit terram Canaan fratri Jacobo, & priorem in monte Seir habitationem repetiit. Quod singulari consilio Dei, &

providentiâ factum eſt, in utriuſque fratris utilitatem. Fuiſſe id non ſolùm Jacobo utile, ſed in rem quoque poſterorum Eſau, manifeſtum eſt. Si enim Eſau manſiſſet in terra Canaan, poſteri ejus, qui numeroſiſſimè multiplicati ſunt, magnam ejus terræ partem ſibi vindicâſſent. Quocirca, venientibus poſtea poſteris Jacobi ad eam terram poſſidendam, neceſſe fuiſſet indè expellere poſteros Eſau; quod ſine bello, & interitu ejus gentis fieri non potuiſſet. Nolebat autem Deus poſteros Eſau, qui ſemen erant Abrahæ, perire, ac deleri. Quapropter dedit eam mentem Eſauo, ut poſthabitâ terrâ Canaan, præoptaret habitationem in monte Seir: juvitque eum, ut Horæos, antiquos ejus regionis habitatores, ſedibus ſuis exterminare poſſet, ſicut legitur in ſecundo Capite Deuteronomii. Illam regionem circa montem Seir, & ipſe Eſau, & poſteri ejus incoluerunt, ibíque principatum atque regnum obtinuerunt: quæ quidem ab ipſo Eſau, qui & Edom dictus fuit, Edomæa ſive Idumæa eſt appellata. Sed & Nabathæos poſtea cum Idumæis in populi unius corpus coaluiſſe, ex Strabone diſcas: & Petram, quæ Nabatæorum fuit metropolis, ſitam in terra Edom aſſerit B. Hieronymus: quod ex 2. Reg. 14. 7. apertè colligitur. Idumæam igitur olim ſpatioſiſſimam fuiſſe conſtat, ut quæ univerſam Nabatæorum gentem ſibi vindicârit, maximámque Arabiæ Petrææ partem comprehenderit, & fines ſuos ad Sinum uſque Arabicum longo oræ maritimæ tractu protulerit. Nec mirum, ſi Eſau, qui & Edom, ductâ in matrimonium ſorore ipſius Nabatæorum auctoris, Nebaiothi videlicet, ampliſſimæ regionis, itémque Maris eandem regionem præterfluentis, imperio potitus ſit. Ab hoc inclyto Heroë non ſolùm terra Edom dicta eſt, ſed & Sinus ille Arabicus Mare Erythræum ſive Rubrum (hoc eſt, Edomæum) denominatum eſt. Hic eſt ille Erythras ſive Erythrus dynaſta, cujus fama ad Græcos pervenit: à quo ſcilicet Ἐρυθρᾶ θαλάσσῃ nomen inditum fuiſſe ſcripſerunt. Vide Fulleri Miſcell. lib. 4. cap. 20. De multiplicatione ſeminis Eſau quæ Moſes narrat poſt Iſaaci mortem Gen. 36. ea per recapitulationem ibi memorantur, ut quæ magna ex parte obitum Iſaac præceſſerint.

Per hoc tempus, cùm Pharaonis pincerna & coquus ob culpam aliquam juſſu Regis in carcerem conjecti ſomniâſſent ſomnia vera, unus ea potuit explicare Joſeph, qui tum erat ὀνοδίσιος, cœlitus infuſâ ſcientiâ, Gen. 40. A. M.

A. M. 2289. *ante Christum* 1714.
JAC. 122. *JOS.* 30.

JOseph biennio post explicata Aulicorum somnia coram Rege Pharaone sistitur, somnium ejus explicat; docet, instare septem fertilitatis annos, ac deinde totidem sterilitatis: maturè prospiciendum Reipublicæ. Pharao credens neminem ipso Josepho aptiorem huic muneri fore, eum toti Ægypto præficit. Factum id paulo ante eam messem, quæ fuit fertilium prima. Josephum hoc tempore fuisse annorum triginta, notavit Moses Gen. 41. 46.

A. M. 2290. *ante Christum* 1713.
JAC. 123. *JOS.* 31.

JOsepho uxorem pro arbitrio suo dederat Pharao. Ea erat Asenath, filia Potipherahi Sacerdotis On sive Heliopoleos. Ex hac Josepho nascitur filius Manasses hoc circiter anno, Ephraim anno sequente, Gen. 41. Qui Josephum emerat, est Potiphar sive Putiphar. Is erat *Saris*, quæ vox non tantùm eunuchum, sed & quemvis aulicum seu principalem Regis ministrum significat: non enim cubicularius sed Magister potiùs militum fuit iste Putiphar. Socer autem Josephi Potipherah, erat *Cohen* (id est, Sacerdos) Heliopoleos. In hac urbe degisse Ægyptiorum Sacerdotes, vel ex Strabone cognoscimus. Ejus verba sunt libro 17. Ἐν δὲ τῇ Ἡλιουπόλει καὶ οἴκους εἴδομεν μεγάλους, ἐν οἷς διέτριβον οἱ ἱερεῖς. μάλιστα γὰρ δὴ ταύτην κατοικίαν ἱερέων γεγενέσθαι φασὶ τὸ παλαιὸν, φιλοσόφων ἀνδρῶν, καὶ ἀστρονομικῶν. hoc est, *Heliopoli domos amplas vidimus, in quibus Sacerdotes habitabant: hanc enim perhibent olim Sacerdotum habitationem fuisse, hominum philosophiæ & astronomiæ deditorum.* Septuaginta Interpretes Exodi Capite primo, inter Urbes ab Hebræis in Ægypto exstructas, Heliopolin memorant. Sed in Hebraico Textu duæ tantùm urbes Pithom & Rameses, ab Israëlitis ædificatæ, ibi nominantur. Heliopolis sive On ante Jacobi ingressum in Ægyptum videtur esse condita. Fortassis autem, ea urbs cladem aliquam passa, postea denuò Hebræorum labore instaurata & munita fuit.

Levi Patriarcha, tertius Jacobi filius, annos sex & triginta natus, gignit Cahathum. In Demetrii verbis apud Eusebium Præp. lib. 9. numerus annorum Levi depravatus est. Epiphanius

us cum, quando genuit filium Caathum, annos 34 natum fuisse scribit.

A. M. 2294. ante Christum 1709.
JAC. 127. JOS. 35.

APidi Phoronei filio defuncto succedit sororis filius Argus, rex Argivorum quartus, regnátque annos septuaginta. Euseb. Jupiter Cretensis regulus ex Niobe Phoronei filia, Apidis sorore, hunc Argum genuisse dicitur, qui peninsulam illam Apiam priùs dictam, à se Argos denominari voluit: unde apud Hesychium, Ἄργος, Πελοπόννησος. Hic autem ex Evadne Strymonis filia genuit Iasum, Piranthum, Epidaurum, & Criasum. Iasi filius Agenor genuit Argum alterum, quem toto corpore oculatum fuisse aiunt Poëtæ, unde & Panoptes dictus est. Eundem verò quidam Arestoris filium fuisse tradidêre: unde Ovidio Arestorides vocatur. Vide Apollodorum Bibliothecæ libro secundo, ubi & hæc habentur verba, Ἄργον τὸν Πανόπτην Ἀστεροπαίδης μὲν Ἀρέστορος λέγει υἱὸν· Φερεκύδης δὲ, Ἰνάχου. Inachi quidem filiam Mycenen, Arestoris conjugem fuisse, illis versibus conscriptum est, quas Græci Eœas magnas (Ἠοίας μεγάλας) appellant, ut testatur Pausanias in Corinthiacis. Niobe à fructu ventris dicta est. *Nub* est, *fructificare.*

Pelasgus Niobes jam memoratæ filius fuit, ut ex Acusilao tradit Apollodorus. Ab eo Pelasgi creduntur originem duxisse, qui eam Peloponnesi partem, quæ pòst Arcadia dicta est, primò videntur insedisse, unde Πελασγίδα Veteres hanc vocabant, & Πελασγίαν, ut notat Stephanus. Pelasgus ille, qui genti nomen dedit, Lycaonis pater est, ut ex Apollodori libro tertio discimus. Pausanias initio Arcadicôn, hæc habet: Φασὶ δ' Ἀρκάδες, ὡς Πελασγὸς γένοιτο ἐπὶ τῇ γῇ πάντῃ πρῶτος· &c. id est, *Arcades primùm quidem omnium Pelasgum in hac terra extitisse memorant.* Crediderim ego Pelasgum illum magnitudine, robore, ac formâ, quin & animi dotibus, cæteros superâsse; eámque ob rem ei à suis regnum decretum. Addit Pausanias Asii Poëtæ de Pelasgo testimonium:

Ἄντιθεον δ' Πελασγὸν ἐν ὑψικόμοισιν ἄρεσσι
Γαῖα μέλαιν' ἀνέδωκεν, ἵνα θνητῶν γένος εἴη.

Pelasgum terrâ editum dicit; quomodo & Hesiodus αὐτόχθονα sive indigenam fuisse. Staphylus apud Apollonii Rhodii Scholiastem, ait,

ait, Pelasgum genere Argivum fuisse, in Thessaliam verò migrâsse, quæ & Pelasgia ab eo fuit olim dicta. Posteros quidem ejus, Pelasgos dico, non solùm per universam Græciam diffusos fuisse, sed & Latium aliquando habitâsse, scribit Dionysius Halicarnassensis.

A. M. 2295. *ante Christum* 1708.
JAC. 128. *JOS.* 36.

ÆGyptii post septem fertilitatis messes, neque colunt terram neque serunt per septem annos continuos; quorum initium ab hujus anni Autumno. Vide Gen. 41. 53. & 45. 6. Præter ordinem & modum atque cursum Naturæ fiebat, ut maxima frugum abundantia in eadem regione perduraret per septem annos continuos, & post eam proximè per septem alios continuos annos summa sterilitas & fames subsequeretur. Cæterùm, quò meliùs intelligatur, quem ad modum illa septennis ubertas & sterilitas à Deo facta sit; scire convenit, Nili exundationem annuam in Ægypto causam esse tum abundantiæ, tum sterilitatis, sed contrariâ tamen ratione. Exundatio enim moderata, abundantiæ causa est; nimio aut parcior, aut contrà exuberantior, sterilitatis. Scribit Diodorus libro primo, Myridis lacum ob eam causam effossum fuisse, ut interdum recepto, interdum averso fluvio, tempestiva Niliacæ aquæ copia agricolis exhiberetur. Cùm enim non certis se Nilus augmentis effunderet, & pro moderatione ejus frugum ubertatem terra suppeditaret (ἡ χώρα τὴν εὐκαρπίαν παρέσκευαζεν ἀπὸ τῆς ἐκείνου συμμετρίας) ad recipiendum aquas redundantes rex Myris illum lacum effodit commodissimum, ut nec nimio vel intempestivo Nilus effluxu terram inundans, paludes & stagna efficeret, nec minùs quàm expediret restagnans, aquarum inopiâ frugibus officeret. *Justum Nili incrementum*, ut ait Plinius, *est cubitorum sexdecim. Minores aquæ non omnia rigant; amplieres detinent, tardiùs recedendo: hæ serendi tempora absumunt, solo madente; illæ non dant, sitiente: Utrumque reputat provincia. In duodecim cubitis famem sentit: in tredecim etiamnum esurit: quatuordecim cubita hilaritatem afferunt; quindecim, saturitatem; sexdecim, delicias. Maximum incrementum fuit ad hoc ævi, cubitorum decem & octo, Claudio Principe: minimum, quinque, Pharsalico bello, veluti necem Magni, prodigio quodam, flumine aversante.* Hæc Plinius. *Fecit igitur Deus præter vim & modum, & ordinem Na-*

turæ, inquit Pererius, *ut hoc tempore incrementum Nili per ſeptem continuos annos fieret ultra ſexdecim, vel decem & octo cubita; unde tanta illa fertilitas Ægypti ſecuta eſt: contrà verò, ut per annos ſeptem proximè inſequentes, perexiguus Nili eſſet auctus, infra duodecim cubita, aut etiam quinque; ex quo ſummam famem accidere neceſſe fuit.* Quod autem dicit Moſes, famem fuiſſe in omnibus terris, Gen. 41. 54. de vicinis Ægypto regionibus, maximè de Phœnice (id eſt, Terrâ Canaan) Palæſtina & Arabia, intelligi debet.

A. M. 2296. *ante Chriſtum* 1707.
JAC. 129. *JOS.* 37.

PHarez Judæ filius tredecim annos natus, videtur cœpiſſe liberos gignere. Primogenitus ejus fuit Ezron, Naaſſonis proavus. Naaſſon princeps erat poſtea eorum qui egreſſi ſunt ex Ægypto. Vide Gen. 15. 16. Chamul ſecundus Pharezi filius anno proximè ſequenti naſci potuit.

A. M. 2298. *ante Chriſtum* 1705.
JAC. 131. *JOS.* 39.

JAcob annos ſolidos 130 natus deſcendit in Ægyptum, cùm jam æſtates duæ tranſiiſſent ſine meſſe, & quinque ſterilitatis anni ſupereſſent, Gen. 47. 9. Cum Jacobo in Ægyptum ſeptuaginta animas deſcendiſſe, ſcribit Moſes Gen. 46. 27. Exod. 1. 5. Deut. 10. 22. B. Lucas Act. 7. 14. pro 70 animabus, habet ἑβδομήκοντα πέντε, id eſt, ſeptuaginta quinque. Theodorus Beza probat emendationem ejus loci, quam Cornelio Bertramo tribuit. Is autem B. Lucam non πέντε, ſed πάντες ſcripſiſſe putat. Cappellus mavult πάντως, id eſt, ad ſummum, vel, in univerſum.

A. M. 2299. *ante Chriſtum* 1704.
JAC. 132. *JOS.* 40.

AMos (qui & Amoſis) Ægyptiorum rex moritur, cùm regnâſſet annos viginti quinque. Ei ſuccedit Chebros, qui regnat annos 13. Hinc apparet, Amoſin fuiſſe illum Pharaonem, qui Joſephum honoravit, & toti Ægypto præfecit. Idem rex Jacobo & filiis ejus, quòd eſſent paſtores, terram Goſen ſive Geſſen habitandam aſſignavit. Ptolemæus Mendeſius, qui Judæos ſub rege Amoſi ex Ægypto egreſſos ſcripſit, rectiùs in Ægyptum ſub eo rege Hebræos veniſſe ſcripſiſſet. Apud Flavium Joſephum libro primo

primo contra Apionem, rex ille, qui *Hycsos*, id est, Pastores, Ægypto expulit, Thumosis vel Tethmosis appellatur, Alisphragmuthoseos filius. Sic ille ex Manethone.

Terra Gosen in finibus Ægypti versus terram Canaan fuisse videtur, ad mare Rubrum, cis Nilum fluvium, non procul ab illo; ideò pascuis abundavit. Quidam putant fuisse Thebaidem. Pars optima terræ Gosen, postea Raamses vel Rameses dicta est, de nomine civitatis, quam ibi Hebræi tempore durissimæ suæ servitutis ædificârunt. Igitur, cùm Pharao terram Gosen concessisset Josephi fratribus, Joseph eis possessionem in optimo terræ loco, Rameses, ut præceperat Pharao, dedisse dicitur, Gen. 47. 11.

Ægyptii, qui Josephi prædictioni de fame ventura credebant, in futurum prospexerant, & ejus exemplo homines privati aliquas fruges in annos famis reposuerant. Tandem verò exhaustis anno secundo privatis horreis, coacti sunt ad Josephum accurrere: qui non antè publica horrea & regia aperuit, quàm privata essent exhausta. Joseph toto fertilitatis septennio frumenta undecunque pretio comparaverat. Cùm ingravesceret fames, ille frumentum à privatis regiâ pecuniâ emptum, vendidit in commodum Regis, tum incolis Ægypti, tum exteris qui illùc frumentatum venerant. Itaque collegit Joseph omnem pecuniam quæ inveniebatur in terra Ægypti, & in Regis ærarium intulit. Pòst ubi omnis pecunia anno famis quinto esset exhausta, jámque deficeret emptoribus pretium, pecora Josepho dederunt pro frumento: anno igitur sexto sustentavit eos pro commutatione pecorum. Septimo autem anno (qui Gen. 47. 18. annus secundus dicitur, id est, alter à consumpta pecunia) cùm adhuc dira invalesceret fames, & jam pecora defecissent, agros suos & possessiones pro pane vendere coacti sunt, séque & terram suam servituti addicere. Itaque emit Joseph omnem terram Ægypti, subjecítque eam Pharaoni, ut non modò jurisdictionis & regni, sed etiam proprietatis jure tota terra esset Pharaonis, Ægyptii autem coloni tantùm suorum agrorum essent, quos urgente fame Regi vendidissent. Nè molestè ferrent, agrorum quondam suorum jam à se abalienatum dominium & proprietatem, in alias urbes translati sunt; ut docerentur hoc signo, nihil jam se proprium habere in urbe sua undè migrabant, multo minùs in urbe quò transferebantur. Ibi enim non ità grave erat videre,

quòd nihil haberent proprium, ubi agros de manu Pharaonis, tanquam coloni, essent accepturi. Ipsi quidem professi sunt, velle se servos esse Pharaoni: attamen eos tanquam servos non habuit, sed ut colonos. Mox enim agros illis colendos reddidit Joseph, eâ lege, ut ipsos colerent sub Pharaone, cui quintam fructuum seu proventuum partem penderent.

Prudenter ità omnia dispensavit & distribuit Joseph, nè Ægyptii se ut servos prorsus tanquam glebæ addictos quererentur, sed ut deinceps agrorum suorum dominum Pharaonem agnoscerent hac quintatione. Potuisset quidem Pharao proprietatis ac dominii jure quatuor partes sibi retinere, quintam illis tanquam colonis relinquere: sed Joseph rem ità in usum populi & Principis commodum temperavit, ut quinta duntaxat frugum pars ad Pharaonem rediret.

Sacerdotum agros quintationi obnoxios non fuisse, docet Moses. Cùm enim ex agris suis non possent solitos reditus percipere, ad vitam tuendam, Rex extra ordinem illis certum demensum ex horreis publicis constituit quàm diu fames vigeret, ut agros suos vendere non sint coacti. Itaque Sacerdotum agri immunes remansêre, Gen. 47. 22, 26. De immunitate & dignitate Sacerdotum Ægyptiorum, vide quæ ex Herodoti Euterpe & Diodori Siculi libro primo citavit Pererius ad illum locum Geneseos. Apud Diodorum inter alia, hæc habentur verba, Εἰσὶ δὲ οὗτοι (οἱ ἱερεῖς scilicet) πάντων τε ἀτελεῖς, καὶ δευτερεύοντες μετὰ τὸν βασιλέα τιμῆς τε δόξαις καὶ τιμῆς ἐξουσίαις. id est, *Hi (Sacerdotes) à cunctis oneribus sunt immunes, & primas à Rege honoris ac potestatis obtinent.*

A. M. 2302. *ante Christum* 1701.
JAC. 135. *JOS.* 43.

ÆGyptii post sterilitatis septennium vel septimo illius sterilitatis anno frumentum à Josepho accipiunt ad serendos agros, Gen. 47. 23. In prioribus sex annis Joseph non dederat eis frumentum ad agros serendos, sed tantummodo in usum cibi & victûs. Cùm enim terra propter λειψυδρίαν & siccitatem nihil ferè posset gignere, frustra terris mandata essent semina. In ultimo autem egestatis anno, quem proximè consecuturus erat annus fertilis, prudenter Joseph atque opportunè semina dedit, quibus agri consiti

siti copiosum insequenti anno frugum proventum ederent: & diligenter cavit (ut ait Philo Judæus, libro de Josepho) nè quis hæc semina in alium usum verteret.

A. M. 2312. *ante Christum* 1691.
JAC. 145. *JOS.* 53.

CHebroh Ægyptiorum rex moritur, cùm regnâsset annos tredecim. Ei succedit Amenophis, qui regnat annos 21. Euseb.

A. M. 2315. *ante Christum* 1688.
JOSEPHI 56.

JAcob patriarcha annos septemdecim in Ægypto commoratus, exactis vitæ annis centum quadraginta septem, animam suam Deo commendat, & placidè expirat, cùm paulo antè de posterorum statu multa vaticinatus esset. Vide Gen. 47, 48, & 49. Ægyptii Jacobum honoribus regiis prosequuntur in funeris apparatu, ac luctu dierum septuaginta. Luctus in Regum funere, dierum 72 fuit, teste Diodoro. Sepultus est Jacob in Terra Canaan, in spelunca agri, quam emerat Abraham ab Ephrone Chettæo, è regione Mamre. Ibi enim ipse Abraham & Sara uxor ejus, Isaac, Rebecca, & Lea Jacobi uxor, sepulti fuerunt, Gen. 49. 30, 31.

A. M. 2333. *ante Christum* 1670.
JOSEPHI 74.

AMenophis Ægyptiorum rex tertius moritur. Huic Mephres apud Eusebium succedit. Sed Manethos Amenophi substituit fororem Amessem sive Amersem, eique tribuit annos 21, menses novem; ut notat Flavius Josephus contra Apionem libro primo.

A. M. 2350. *ante Christum* 1653.
JOSEPHI 94.

AMram, pater Moysis, circa hoc tempus nascitur. Mendosè leguntur verba Demetrii ex Alexandro Polyhistore citata apud Eusebium Præp. Evang. libro nono, Καὰθ δ ἐτῶν μ', γεννᾷται Ἀβραάμ. Legendum, Καὰθ δ ἐτῶν ξ', γεννᾷται Ἀμβράμ. id est, *Caath autem annos natus sexaginta, generavit Amramum.*

A. M. 2355. ante Chriſtum 1648.
JOS. 99. AMRAMI 6.

MEphres Ægypti rex regnat annos duodecim. Euſeb.
Ezron Pharezi filius, Judæ nepos, annum ætatis ſexageſimum agens, uxorem duxit Machiris filiam, Manaſſis neptim, ex qua poſt aliquot annos filium genuit Segubum, Jairis patrem. Jair, etſi Judæ abnepos ſit, tamen Manaſſenſes ſequutus, & apud eos hæreditatem adeptus, in ſacris literis Manaſſis filius dicitur. Hic in Galaaditide poſtea urbes poſſedit viginti, pagos ſexaginta. Vide 1. Paralip. 11. 21, 22. Numer. 32. 39. Joſ. 13. 30.

A. M. 2364. ante Chriſtum 1639.
JOS. 108. AMRAMI 15.

ARgo defuncto ſuccedit Criaſus filius, quintus rex Argivorum, regnátque annos quinquaginta quatuor, ut notat Euſebius. Teſtatur quoque Apollodorus, Criaſum patri Argo in regno ſucceſſiſſe. Pauſanias autem duos Argi filios, Peiraſum & Phorbantem nominat, quos regnum illud obtinuiſſe innuit. Et de Phorbante quidem non eſt dubium. Peiraſus (niſi idem eſt, qui aliis Criaſus appellatur) an regnaverit, haud queo dicere. Videtur enim Peiraſus Pauſaniæ vocari, qui aliis eſt Peiras, vel Peiranthus.

Peiranthus (quem Peirantem alii vocant) Argi filius, Junoni Argivæ templum condidit, ejúſque ſimulacrum ex piro ſylveſtri, quæ Græcis ὄχνη dicitur, edolatum in templo poſuit, & filiam ſuam Callithyiam ejuſdem Deæ ſacerdotem primam conſtituit, ut docet Plutarchus apud Euſebium libro Proparaſceues tertio. Eam verò Callithoën appellat Auctor Phoronidis apud Clementem libro Stromatum primo:

Καλλιθόη κλειδοῦχος Ὀλυμπάδος βασιλείης
Ἥρης Ἀργείης, ἣ σέμνασι καὶ θυσάνοισι
Πρώτη ἐκόσμησεν περὶ κίονα μακρὰν ἀνάσσης.

id eſt,

Callithoe clavem Reginæ geſtat Olympi,
A qua Junonis, ſerto pulchrâque corollâ,
Argivæ quondam primùm exornata columna eſt.

Vocat πρώτιμον κλειδοῦχον, primam ædituam Junonis Argivæ, quæ infulis

fulis & vittis columnam Deæ ornaverit. Nam tempore illo ſimulacra Deorum erant tantùm columnæ ſive κίονες πυραμοειδεῖς, ut obſervat Scaliger. Idem apud Heſychium legendum monet: Ἰὼ, Καλλίθυια ἐκαλεῖτο ἡ πρώτη ἱέρεια τῆς Ἥρας· ut duplex hoc ei nomen fuerit, Io, & Callithyia. Apollodorus ex Heſiodo & Acuſilao narrat, Ἰὼ τὴν Πειρῆνος, ἱερωσύνῃ τῆς Ἥρας ἔχουσαν, à Jove vitiatam fuiſſe. Peiren ille, non alius quàm Peiras, vel Peiranthus videtur. Illud Junonis ſignum omnium vetuſtiſſimum, è piro ſylveſtri ſive achrade factum, cùm Peiraſus Argi filius Tirynthem aſportâſſet, Argivi oppido everſo, in Heræum ſive Junonis templum reportârunt, ut ſcribit Pauſanias libro ſecundo. Non temere apud Euſebium de prima Junonis Argivæ Sacerdote mentio facta eſt, quia Sacerdotum Argivarum annis Faſti ſignabantur, ut alibi annuorum magiſtratuum imperio.

A. M. 2367. ante Chriſtum 1636.
AMRAMI 18.

JOſeph patriarcha cùm annos centum ac decem vixiſſet, ſupremum diem obit, fratres ſuos ad concordiam cohortatus, déque illorum afflictionibus ac liberatione vaticinatus, addito fidei ſuæ ſymbolo, velle ſe oſſa ſua aſſervari, ut liberationis tempore in Canaanæam deferrentur, & in Sichemitarum agro à patre olim empto conderentur; quod & poſtea præſtitum eſt. Vide Geneſeos cap. ult. commate 25, 26. Hebr. 11. 22. Exod. 13. 19. Joſ. 24. 32. Joſeph moriens videtur fratres ſuperſtites reliquiſſe.

Mephramuthoſis Ægyptiorum rex, regnat annos viginti ſex. Euſeb.

Atlas Iapeti filius, Deucalionis patruus, hoc tempore vixit, ut notat Euſebius. Iapetum eſſe Japhet Noachi filium falſò nonnulli putârunt. Ex ipſo tamen nomine apparet, Japheti aliquam memoriam apud poſteros ejus, qui Europam incoluerunt, fuiſſe conſervatam. Iapetum quidem Cœli & Terræ filium eſſe, fabulantur Poëtæ: cujus fratres quinque memorantur, Cronus, Hyperion, Cœus, Crius, & Oceanus; ſorores autem, Rhea, Themis, Phœbe, Tethys, Mnemoſyne. Hos omnes liberos ex matre Titæa, ut aliqui tradunt, unus Curetum procreavit: unde Titanes, & Titanides, de matris ſcilicet nomine, appellabantur. Plura de his apud Diodorum legas,

legas, Bibliothecæ libro quinto. Iapetus ex Asia Oceani filia genuit Atlantem, Prometheum, & Epimetheum. Atlas regiones Oceano conterminas obtinuit, montíque Atlanti, & populis illîc Atlantiis nomen dedit. Idem, quòd Astrologus, & Sphæræ inventor esset, dicebatur cœlum humeris sustinere. Diodorus, libro 3. φασὶ δ' αὐτὸν τὰ περὶ τὴν ἀστρολογίαν ἐξηκριβῶσθαι, καὶ τὸν σφαιρικὸν λόγον εἰς ἀνθρώπους πρῶτον ἐξενεγκεῖν. hoc est, *Atlas exactam Astrologiæ cognitionem habuisse dicitur; qui & Sphæræ rationem primus manifestârit.*

A. M. 2393. *ante Christum* 1610.
AMRAMI 44.

LEvi patriarcha moritur, cùm vixisset annos centum triginta septem, Exod. 6. 16.

Mephramuthosi defuncto succedit Thuthmosis rex Ægyptiorum, (qui apud Josephum Thmosis vocatur) regnátque annos novem. Euseb.

A. M. 2402. *ante Christum* 1601.
AMRAMI 53.

THuthmosi Ægyptiorum regi succedit Amenophis alter (qui in Fastis Siculis Palmanothis dicitur) & regnat annos 31. De quo Eusebius, Οὗτός ἐστιν ὁ Μέμνων εἶναι νομιζόμενος καὶ φθεγγόμενος λίθος, *Hic est*, inquit, *quem quidam Memnonem putant lapidem loquentem.* Pausanias, in Atticis: Ἔστι γὰρ ἔτι καθήμενον ἄγαλμα ἠχεῖον· Μέμνονα ὀνομάζουσιν οἱ πολλοί. ἀλλὰ γὰρ οἱ Μέμνονα οἱ Θηβαῖοι λέγουσι, Φαμένωφα δὲ εἶναι τῶν ἐγχωρίων, ἐφ' οὗτο ἄγαλμα ἦν. id est, *Thebis Ægyptiis adhuc est simulacrum vocale, quod multi Memnonis nominant: at ipsi Thebani Memnonem esse negant; nam Phamenophis indigenæ hominis eam statuam fuisse dicunt.* Addit, *Audivi etiam qui Sesostris illam statuam esse dicerent: eam Cambyses dissidit: & nunc etiam superior pars à vertice ad medium truncum humi neglecta jacet: reliquum adhuc sedere videtur, ac quotidie sub ipsum Solis ortum, sonum edit, qualem vel citharæ vel lyræ nervi, si fortè dum tenduntur, rumpantur.* Juvenalis: *Dimidio magicæ resonant ubi Memnone chordæ.* Plinius libro 36. *Visitur* (Memnonis statua) *in Serapis templo, formâ colossi: quem quotidiano Solis ortu contactum radiis crepare dicunt.* Meminêre & alii scriptores, Dionysius in Periegesi, Strabo lib. 17. Corn. Tacitus Annalium secundo, Lucianus in Philo-

Philopſeude, & Philoſtratus in Vita Apollonii; qui more ſuo mentitur, dum eam ſtatuam ab ipſo Apollonio viſam in Æthiopia refert, cùm certum ſit in Ægypto fuiſſe.

A. M. 2409. *ante Chriſtum* 1594.
AMRAMI 60.

EPidaurus Argi filius circa hoc tempus urbem in Argolide condit de ſuo nomine dictam. Euſeb.

A. M. 2418. *ante Chriſtum* 1585.
AMRAMI 69.

CRiaſo defuncto ſuccedit Phorbas, ſextus Argivorum rex, regnátque annos triginta quinque. Euſeb. Hunc Phorbantem Argi filium facit Pauſanias.

Prometheus Iapeti filius, Atlantis frater, circa hoc tempus floruit, ut docet Euſebius. Prometheum εὑρετὴν γενέσθαι πυρείων ἐξ ὧν ἐκκαίεται τὸ πῦρ, id eſt, *Igniarii, ſive inſtrumenti quo ad eliciendum ignem utimur, repertorem fuiſſe,* ait Diodorus libro quinto: unde & fabulam ortam eſſe, quòd Prometheus ignem diis ſurreptum hominibus impertiverit.

A. M. 2422. *ante Chriſtum* 1581.
AMRAMI 73.

CAath Levi filius, Amrami pater, moritur anno ætatis ſuæ centeſimo trigeſimo tertio, Exod. 6. 18.

Ægyptiorum Rex Amenophis, ſi quidem is eſt Pharao ille, qui hoc tempore regnavit, contra Iſraëlitas perſecutionem excitat, Exod. 1. 8. Quam ob rem Amramus filiam à calamitatis amaritudine Mariam ſive Miriam vocavit. In Seder Olam Rabba ſeu Chronologia majore, ſic ſcribunt Judæi: *Quàm diu Levi fuit in vivis, Iſraëlitæ non ſunt oppreſſi Ægyptiorum ſervitute. Poſtquam verò fatis Levi conceſſit, cæperunt Ægyptii ſervituti eos ſubjicere. Numerantur anni ab obitu Levi ad exitum Iſraëlis de Ægypto, centum & ſexdecim. Proinde ſervitus Ægyptiaca nec plùs nec minùs octoginta ſeptem annis duravit, quantus fuit annorum Mariæ ſororis Moſis numerus. Unde Maria appellata eſt ab amarore, quem totâ ipſius ætate ſenſerunt.* Hæc illi. Maria igitur, quæ ſeptimo ante Moſis nativitatem

anno naſcitur, eſt illa Moſis ſoror, cujus fit mentio, Exod. cap. ſecundo, commate quarto.

A. M. 2425. *ante Chriſtum* 1578.
AMRAMI 76.

AAron Amrami filius naſcitur. Demetrius hiſtoricus apud Euſebium, ait, Amramum duxiſſe uxorem Jochabet τὴν τοῦ πατρὸς ἀδελφήν, id eſt, filiam avunculi ſui, & ex ea Aaronem generâſſe, cùm ipſe eſſet annos natus ſeptuaginta quinque. Erat quidem Jochabet Amrami patruelis, ſive patrui filia. Sic enim Græci Interpretes Exod. 6. 20. Καὶ ἔλαβεν Ἀμραὰμ τὴν Ἰωχαβὲδ ἀδελφὴν τοῦ πατρὸς αὐτοῦ. Itaque Latinus Interpres habet, *Accepit Amram uxorem Jochabed, patruelem ſuam.* Nonnulli potiùs vertendum cenſuerunt, *amitam ſuam*; quaſi Amram duxerit patris ſui ſororem. Hanc autem interpretationem confutat Pererius Diſputatione primâ ſuper Cap. 2. Exodi. Quamvis enim Jochabed dicatur filia Levi Numer. 26. 59. hoc tamen non convincit, eam fuiſſe proximè genitam à Levi.

A. M. 2428. *ante Chriſtum* 1575.
AMRAMI 79.

MOſes Amrami filius, Aaronis frater naſcitur, annis octoginta ante diſceſſum Iſraëlitarum ex Ægypto. Demetrius apud Euſebium, ait, γενέσθαι Μωσῆν τὸν Ἀμραὰμ ὄντα ἐτῶν οὐ, id eſt, *Amramum, cùm eſſet annos natus* 78, *Moſem generâſſe.* Triennio poſt fratrem Aaronem, Moſem natum eſſe, conſtat ex Exod. 7. 7. Pharaonis filia, quæ Moſem aluit, Joſepho Thermuthis appellatur; ſed in Faſtis Siculis nominatur Merris.

A. M. 2430. *ante Chriſtum* 1573.
AMRAMI 81. *MOSIS* 3.

ANtæum luctæ certamine vicit Hercules ille, qui Euſebio ſecundus vocatur. De primo Hercule ſuprà diximus ad Annum mundi 1966. Turbant autem Poëtæ, qui ambos cum tertio, qui Alcmenæ filius fuit, confundunt. Fatetur Diodorus Siculus multos fuiſſe Hercules: tamen ipſe libro 4. omnium res geſtas uni Alcmenæ filio tribuit. De Antæo refert Pomponius Mela, quòd Tingi oppidum

oppidum Mauritaniæ condiderit. Hujus ſepulcrum ibi à Sertorio Romanorum duce effoſſum, oſſiúmque compagem cubitorum ſexaginta repertam, & rurſus humatam fuiſſe, ſcripſit Gabinius hiſtoricus teſte Strabone lib. ult. Meminit & Plutarchus in Vita Sertorii. Luctam inter Antæum & Herculem deſcribit Lucanus libro quarto. Canit Pindarus Iſthm. 4. Antæum gigantem Libycum ab Hercule ſuperatum, licèt ille Herculem ſtaturâ longè ſuperârit.

A. M. 2433. ante Chriſtum 1570.

MOSIS 6.

AMenophi defuncto ſuccedit Orus ſive Horus, nonus Ægyptiorum rex, regnátque annos 38. Euſeb.

Trochilus quadrigam primus junxiſſe fertur, ídque in honorem Junonis Argivæ. Euſeb. Igitur Arati Interpres ſcribit, ſydus, quod Græci τὸν ἡνίοχον, id eſt, *Aurigam*, vocant, eſſe εἴδωλον Τροχίλου τοῦ ἅρμα πρῶτου ζεύξαντος. Tertullianus libro de Spectaculis, cap. 9. *Si verò Trochilus Argivus auctor eſt currûs, primò Junoni id opus ſuum dedicavit.* Apud Pauſaniam legas, hunc Trochilum ἱεροφάντην fuiſſe. Nam Argis pulſus in Atticam venit, & Eleuſine antiſtes ſacrorum factus eſt.

A. M. 2449. ante Chriſtum 1554.

MOSIS 22.

CEcrops ὁ δίφυὴς dictus, quia cùm Ægyptius eſſet, ità Græcos mores ac linguam addidicerat, ut Græcus videretur, in Attica (quæ tunc Acte dicebatur) primus regnare incipit annis plus minus 373 ante Ilii excidium: ipſe autem regnat annos quinquaginta, ut notat Euſebius. De Cecropis duplici natura ſic ſcribit Apollodorus libro tertio: *Cecrops* αὐτόχθων, *humano ſimul & ſerpentino corpore præditus* (συμφυὲς ἔχων σῶμα ἀνδρὸς καὶ δράκοντος) *in terra Attica primus regnavit, & quæ priùs Acte dicebatur,* ἀφ' ἑαυτοῦ Κεκροπίαν ὠνόμασεν, id eſt, *Cecropiam ſuo de nomine dici voluit.* Euſtathius Commentariis in Dionyſii Περιήγησιν, docet, fabulam de converſione Cecropis è ſerpente in hominem, indè manâſſe, quòd is poſtquam in Græciam tranſierat, barbaris Ægyptiorum moribus depoſitis, mitiores & magìs civiles mores induiſſet. Plura legi poſſunt apud Ariſtophanis Scholiaſten, & Suidam.

Minervam Cecrops primus apud Græcos coluit, quam Ἀθηνᾶν dixit, ejúſque ſtatuam primus poſuit. Euſeb. Ipſam Minervam ἀφ' ἑαυτῆς τῇ πόλιν Ἀθήνας καλέσαι, id eſt, urbi Athenarum nomen dediſſe, ait Apollodorus. Porrò, Deum Ζῆνα Cecrops primus appellavit. Id legimus apud Euſebium Præpar. libro decimo: Πρῶτος δὲ Κέκροψ λέγεται Ζῆνα καλεῖσθαι τὸν θεόν. Saturni ſive Croni filium Græcis Ζῆνα dictum ſcribit Diodorus μετὰ τὴν ἐξ ἀνθρώπων μετάστασιν, id eſt, *poſtquam ille rebus humanis fuit exemptus*, propterea quòd dum vixit, bene vivendi auctor (τοῦ καλῶς ζῆν αἴτιος) hominibus fuiſſet. Aram quoque Cecrops primus apud Athenienſes extruxit, ut notat Euſebius libro citato. Cecropem Bœotiæ, quæ tunc Ogygia dicta fuit, præfuiſſe ait Strabo libro 9.

Lycaon Pelaſgi filius Lycoſuram urbem in monte Lycæo condidit, Jovem Lycæum appellavit, ludóſque in ejus honorem Λύκαια inſtituit, ut in Arcadicis ſcribit Pauſanias: Eâdem ætate Cecropem Athenis, & Lycaonem in Arcadia regnâſſe, ibidem tradit: prudentiâ verò (ad res divinas quod attinet) multo Lycaonem inferiorem fuiſſe. Cecrops enim cùm primus Jovem cognomine Ὕπατον, id eſt, Supremum appellâſſet, nihil vitâ præditum ei immolandum duxit, ſed liba tantùm patria (πλακοῦντας Attici vocant) ut ad aram porricerentur ſanxit. At Lycaon ad Jovis Lycæi aram infante mactato, humanum ſanguinem libavit. Ea de re ſic ſcripſit Apollodorus: *Lycaon Arcadibus imperans, è multis uxoribus filios quinquaginta genuit, qui ſuperbiâ & impietate cunctis mortalibus anteſteterunt. Quare Jupiter, ut horum impietatis periculum faceret, ſumptâ hominis operarii formâ, ad eos accedit. Tum hi, poſtquam invitatum hoſpitem domi ſuæ excepiſſent, jugulati è conterraneis pueris unius viſcera, ſacris admiſta, ei comedenda appoſuerunt.* Vide Suidam in Λυκάων.

A. M. 2453. *ante Chriſtum* 1550.

MOSIS 26.

PHorbanti defuncto ſuccedit Triopas, ſeptimus Argivorum rex, regnátque annos quadraginta ſex. Euſeb. Xanthus Triopæ filius, Pelaſgorum dux, inſulam Iſam, quæ poſtea Lesbus dicta eſt, deſertam occupavit. Diod. lib. 5.

A. M.

A. M. 2459. *ante Chriſtum* 1544.
MOSIS 32.

JOſuë Nunis filius, qui deſcendit de Ephraim in ſeptima generatione, hoc anno natus videtur. Ejus genealogiam habes 1. Paralip. 7. 25, 26.

A. M. 2464. *ante Chriſtum* 1539.
MOSIS 37.

DEucalion circa Parnaſſum regnare incipit. Euſeb. Promethei filius Deucalion, imperio tenens eam Græciæ partem quæ ad Phthiam jacet, Pyrrham Epimethei & Pandoræ filiam duxit uxorem, ut ait Apollodorus. Et apud Strabonem lib. 9. dicitur Deucalion τῆς Φθιώτιδος ἄρξαι, καὶ ἁπλῶς τῆς Θετταλίας, *Phthiotidi & ſimpliciter Theſſaliæ imperâſſe:* ideóque Theſſaliam à Pyrrha Deucalionis uxore Pyrrhæam fuiſſe nuncupatam. Quod teſtatur Rhianus Poëta, hoc verſiculo,

Πυῤῥαίαν ποτὲ τήν γε παλαιότεροι καλέεσκον.

A. M. 2468. *ante Chriſtum* 1535.
MOSIS 41.

MOſes annos quadraginta natus, occidit Ægyptium, & renuit vocari filius filiæ Pharaonis. Pharao Moſem interficere quærit. Idcirco vitæ ſuæ conſulens Moſes, ut futuris temporibus ſe reſervaret, fugit in Madianitidem: ibíque manſit apud Jethronem Madianitarum antiſtitem; qui Sephoram filiam ei dat in uxorem. Vide Exodi cap. 11. & Act. 7. 23. Hebr. 11. 24. Manſerat Moſes in Ægypto per quadraginta annos, magno in honore ac dignitate. Narrat Joſephus, eo temporis ſpatio Moſem juſſu Regis Ægypti, bellum geſſiſſe adverſus Æthiopas, qui Ægyptum depopulabantur. Quam Moſis expeditionem Artapanus quoque commemorat, ut ex Euſebio diſcimus, Præparationis Evangelicæ lib. 9. cap. ult. Joſephi locus eſt Antiquitatum libro ſecundo, cap. 5.

A. M. 2469. *ante Chriſtum* 1534.
MOSIS 42.

IO ſecunda (hæc enim non Inachi, ſed Iaſi filia eſt) à Jove compreſſa, & zelotypiâ Junonis in furorem, ſive, ut Poëtis placet, in vaccam

vaccam versa, freto Thracio trajecto Bosporo nomen fecit, & in Ægyptum profecta, humanæque formæ restituta, etiam dea facta est, & Isis dicta. Hujus filius Epaphus est. Euseb. Hanc veteres quidam cum Inachi filia confundunt: idque ex iis, quæ scripsit Apollodorus libro secundo, facilè potest colligi. Rectè autem Eusebius Iasi filiam, quam Ἰὼ δευτέραν vocat, ab Inachi filia distinguit. Io Iasi filiam in Ægyptum perveniisse, autor est Pausanias lib. 2. Ἰὼ μὲν δὴ Ἰάσου θυγάτηρ, inquit, εἴτε κατὰ Ἡσίοδον ἔχασεν, εἴτε καθ' ὃ λέγουσιν Ἕλληνες, ἐς Αἴγυπτον ἀφικνεῖται. id est, *Io quidem Iasi filia, sive quo scripsit Herodotus modo, sive ut Græci narrant, in Ægyptum venit.* Herodoti narratio, hæc est: *Phœnices à Mari Rubro in hoc nostrum profecti, positis sedibus in ea regione quam nunc quoque incolunt, longinquis continuò navigationibus incubuerunt; faciendisque Ægyptiarum & Assyriarum mercium vecturis, cùm in alias plagas, tum etiam Argos pervenerunt. Argos etenim eâ tempestate omnibus civitatibus Græciæ antecellebat. Huc appulsos Phœnicas mercimonia exposuisse aiunt; & quinto sextóve quàm appulissent die, cunctis ferè divenditis, fœminas ad mare venisse cùm alias multas, tum verò Regis filiam,* Ἰὼ τὸν Ἰνάχου. *dúmq; hæ fœminæ puppi navis assistentes ea mercarentur, quæ cujusque aviditas maximè ferebat, Phœnicas sese adhortatos* (διακελευσαμένους) *in eas impetum fecisse; & ipsarum plerisque aufugientibus, Io cum aliis aliquot raptam fuisse: eisque in navem impositis, Phœnicas in Ægyptum vela fecisse.* Hæc ille.

Iasus inter Reges Argivorum non recensetur apud Eusebium. Duos autem ejus nominis commemorat Apollodorus, alterum Argi & Euadnes filium, alterum Argi & Ismenes filium, Iûs patrem. Pausanias Iasum Iûs parentem, & Agenorem, Triopæ filios fuisse refert; Crotopum verò Agenoris filium Iaso in imperium successisse. Ipsum quidem Iasum Argis imperâsse, vel hinc colligas, quòd suum nomen urbi imposuerit, sicut & alii ante eum Reges fecerant. Nam ab ipso urbs Ἴασος dicta est, & incolæ Ἰάσιοι, ut docet Ethnicôn Scriptor. Sed & Homeri Scholiastes Iasum Peloponnesi regem fuisse scribit, ad illud Odysseæ lib. 18. Ἐς πάντες σε ἰδοιεν ἀν' Ἴασον Ἄργος Ἀχαιοί.

Triptolemus Trochili filius ad Ionem quærendam ab Argivis missus, cùm per Ciliciam errâsset, comites quidam ejus factâ discessione Tarsum urbem ibi condiderunt, ut apud Strabonem legas, lib. 14, & 16. *A. M.*

A. M. 2471. *ante Chriſtum* 1532.
MOSIS 44.

ORo defuncto ſuccedit decimus Ægypti rex Acenchres, regnátque annos duodecim. Euſeb. Apud Joſephum verò Acenchres fœmina poſt Oron, ſive ea ſoror ſive filia ejus fuerit, regnâſſe dicitur annis 12, menſe uno: cui ſucceſſit Rhathotis frater ejus, qui novem annis imperium tenuit. Ità enim Joſephi codices: τῆς δ' Ῥαθώτης ἀδελφὸς, ἐννέα. Apud Euſebium poſt Acenchrem Athoris, cui annos ſeptem tribuit, collocatur.

A. M. 2486. *ante Chriſtum* 1517.
MOSIS 59.

AMram Moſis pater moritur anno ætatis centeſimo trigeſimo ſeptimo, Exod. 6. 20. Hujus fides laudatur Hebr. 11. 23.

Templum Apollinis in Delo conditur ab Eryſichthone Cecropis filio. Apollo hic antiquiſſimus eſt, Vulcani & Minervæ filius, in cujus tutela Athenas antiqui hiſtorici eſſe voluerunt, ut docet Cicero lib. 3. de Natura Deorum. Eryſichthon, cùm è Delo, quò cum ſacris iverat, domum reveheretur, in ipſo navigationis curſu è vita diſceſſit. Pauſan. Atticis.

Ephyra, quæ pòſt Corinthus dicta eſt, conditur. Euſeb.

A. M. 2490. *ante Chriſtum* 1513.
MOSIS 63.

DUm Moſes apud Madianitas latitat, perierunt Ægypti Reges tres, Orus, Acenchres, Achoris. Succedit omnium peſſimus Cenchres, duodecimus Ægyptiorum rex, regnátque annos octodecim, uſque ad Exodum videlicet, cujus tempore periit. Euſeb.

A. M. 2492. *ante Chriſtum* 1511.
MOSIS 65.

DIluvium, Deucalione regnante, in Theſſalia contigit annis ſexdecim ante Exodum, &, ut ex antiquis Chronographis notavit Clemens Alexandrinus, annis 737 ante primam Olympiadem. Dum Theſſalia diluvio ſubmergitur, Æthiopia incendio conflagrat ſub Rege Phaëthonte: cujus incendii meminit Plato in Timæo.

Verba

Verba Oroſii, libro primo: *Aquarum illuvies*, inquit, *majorem partem populorum Theſſaliæ abſumpſit, paucis per refugia montium liberatis, maximè in monte Parnaſſo, in cujus circuitu Deucalion tunc regno potiebatur: qui tunc ad ſe ratibus confugientes ſuſceptos, per gemina Parnaſsi juga fovit aluítque: à quo propterea genus humanum reparatum ferunt. Tunc etiam in Æthiopia peſtes plurimas, diróſque morbos, penè uſque ad deſolationem exæſtuaviſſe, Plato teſtis eſt.* Et non multo pòſt, *His temporibus*, inquit, *adeò jugis & gravis æſtus incanduit, ut Sol per devia tranſvectus, univerſum orbem non calore affeciſſe, ſed igne torruiſſe dicatur.*

Diluvium Deucalioneum Euſebius ad Triopæ annum viceſimum ſextum, & ad Cecropis 30 retulit. Clemens autem tum Deucalionis cataclyſmum, tum Phaëthontis ἐμπρησμὸν ſub Crotopo Argivorum Rege contigiſſe ſcribit. Sic etiam Tatianus: Κατὰ δὲ Κέκροπα ἡ ἐπὶ Φαέθοντος ἐκπύρωσις, καὶ ἡ ἐπὶ Δευκαλίωνος ἐπομβεία. De tempore autem hujus ἐπομβείας, alii aliter ſenſerunt, ut apparet ex verbis Auguſtini De Civit. Dei lib. 18. cap. 10. *His* (inquit) *temporibus, ut Varro ſcribit, regnante Athenienſibus Cranao ſucceſſore Cecropis, ut autem noſtri Euſebius & Hieronymus, adhuc eodem Cecrope permanente, Diluvium fuit, quod appellatum eſt Deucalionis, eò quòd ipſe regnabat in earum terrarum partibus, ubi maximè factum eſt.* Apollodorus hoc Diluvium ſub Lycaonis filio Nyctimo contigiſſe ſcribit, Bibliothecæ libro 3. Νυκτίμῳ τῷ βασιλείαν παραλαβόντος, ὁ ἐπὶ Δευκαλίωνος κατακλυσμὸς ἐγένετο. τοῦτον ἔνιοί φασι διὰ τὴν τῶν Λυκάονος παίδων δυσσέβειαν γενέσθαι. hoc eſt, *Ut regnum adeptus eſt Nyctimus, Deucalionis Diluvium accidit: quod nonnulli Lycaonis filiorum impietate contigiſſe aiunt.*

Hunc cataclyſmum ità deſcribit Ovidius, quaſi totum genus humanum, Deucalione & Pyrrhâ exceptis, tunc periiſſet. Sic etiam Lucianus, libro De Syria Dea: Πάντα ὕδωρ ἐγένοντο, καὶ πάντες ὄλοντο. Δευκαλίων δὲ μοῦνος ἀνθρώπων ἐλίπετο ἐς γενεὴν δευτέρην. id eſt, *Omnia pontus erant, & omnes peribant: Deucalion autem ſolus hominum relictus eſt in ſecundam generationem.* Vide quæ ibidem ſequuntur, Noëtico Diluvio planè conſentanea. Apollodorus verò dicit, Jovem effuſis de cœlo imbribus maximam Græciæ partem (τὰ πλεῖστα μέρη τῆς Ἑλλάδος) cooperuiſſe. Audiamus Ariſtotelem, Meteorologicôn libro primo: Ὁ καλούμενος ἐπὶ Δευκαλίωνος κατακλυσμὸς, περὶ τὸν Ἑλληνικὸν ἐγένετο μάλιστα τόπον· καὶ τότε περὶ τὴν Ἑλλάδα τὴν ἀρχαίαν. id eſt, *Diluvium quod ſub Deucalione*

caliône dicitur contigiſſe, circa Græciæ maximè loca factum eſt; & quidem circa eam Græciæ partem, quæ Hellas antiquitus dicebatur. Rectè igitur B. Auguſtinus negat ad Ægyptum perveniſſe hoc diluvium. Ità & Diodorus Siculus, lib. 1. Κατὰ τὸν ὀπὶ Δευκαλίωνος γενόμενον κατακλυσμὸν, εἰκὸς μάλιστα διατεσῶσθαι τὲς κατὰ τὴν Αἴγυπτον ἀπὸ τῆς μεσημβρίας κατοικῶντας. hoc eſt, *In diluvio Deucalionéo, Ægypti incolas ſub meridie poſitos, in primis ſervatos eſſe, conſentaneum videtur.* Clemens Alexandrinus τὴν δευτέραν ἐπομβρίαν, Secundam Inundationem hanc appellat. Tres etenim enumerat particulares Cataclyſmos; primum ſub Ogyge, ſecundum ſub Deucalione, tertium ſub Dardano. Quæ tria Diluvia ſingulatim deſcribit Nonnus Dionyſiacôn libro tertio.

Poſt diluvium Deucalion templum Jovi apud Dodonam conſtruxit, ibíque conſedit in Moloſſis, ut in Vita Pyrrhi ſcribit Plutarchus. Vetus Homeri Interpres ad Iliados π' ex Thraſybulo hanc narrat hiſtoriam: *Deucalion poſt diluvium profectus in Epirum ἐμαντεύετο ἐν τῇ δρυΐ*, id eſt, *in quercu oraculum conſuluit: cúmque reſponſum ei Columba dediſſet, Dodonam condidit, in quem locum eos, qui ſuperfuerant diluvio, collegit.* Herodotus Dodonæi Jovis oraculum ἀρχαιότατον τῶν ἐν Ἕλλησι χρηστηρίων εἶναι, omnium quæ apud Græcos ſunt oraculorum vetuſtiſſimum eſſe teſtatur; quod nigra Columba, fago inſidens, condi juſſerat. Arbor verò, quam ille φηγὸν appellat, Quercus fuiſſe dicitur. Homerus certè Odyſſeæ 14, δρυῒ ὑψικόμῳ vocavit: Et Græcorum φηγὸν eſſe genus illud quercûs, quod glandem maximè edulem profert, contendit Goropius.

A. M. 2495. *ante Chriſtum* 1508.
MOSIS 68.

CEcrope adhuc regnante, Areopagus judiciorum locus Athenis conſtitutus eſt. Euſeb. Mars cæſo Halirrhothio primus cauſam capitis dixiſſe fertur in Areopago. Qua de re ſic ſcribit Apollodorus, libro tertio: *Cecrops Agraulon Actæi filiam duxit uxorem, ex eâque marem quidem ſuſcepit Eryſichthonem, qui ἄτεκνος è vita deceſſit: filias verò, Agraulon, Herſen & Pandroſon. At ex Agraulo & Marte gignitur Alcippe. Huic vim inferre dum conatur Halirrhothius Neptuni filius, à Marte deprehenſus occiditur: quam ob rem Neptunus Martem in Areopago cædis reum agit. Is duodecim Deorum ſententiâ*

judicatus absolvitur. Meminit & Pausanias, Atticis: *In æde Æsculapii fons est,* inquit, *ad quem Neptuni filium Halirrhothium à Marte, cujus filiæ Alcippæ vitium obtulerat, interfectum tradunt: déque ea cæde primum capitis judicium factum.* Ibidem hæc addit: Ἔστι δὲ Ἄρειος πάγος καλούμενος, ὅτι πρῶτος Ἄρης ἐνταῦθα ἐκρίθη· &c. *Areopagus indè nomen accepit,* inquit, *quòd Mars eo in loco primus capitis causam dixerit. Eodem verò in loco pòst Oresti de matris cæde judicium est constitutum.* Hæc Pausanias. Igitur ille locus πάγος, id est *Collis,* priùs dicebatur: pòstquam Mars ibi causam dixit, Ἄρειος πάγος, hoc est, *Martius Collis,* cœpit appellari. Eandem nominis rationem tradidit Philochorus Ἀτθίδος libro secundo: cujus verba citantur apud Stephanum.

Sed totum hoc, quod de Marte homicidii reo, & Deorum sententiâ absoluto, affertur, ut fabulosum & Deorum majestate indignum, Varroni minimè probari ait Augustinus De Civit. lib. 18. cap. 10. Duplicem vocabuli rationem affert Suidas: *Vocatur,* inquit, Ἄρειος πάγος, *vel quia Mars defixit ibi hastam* (ὅτι Ἄρης ἔπηξε τὸ δόρυ ἐκεῖ) *cùm reus ageretur ob cædem Halirrhothii, ut refert Hellanicus: vel* πάγος *ideo dicitur, quòd in loco editiore est* τὸ δικαστήριον Ἄρειος *verò, id est, Martius, quia de cædibus ibi Judices cognoscebant, quibus præest Mars.* Quò spectant hæc Stephani verba: Ἄρειος πάγος, ἐν ᾧ τὰς φονικὰς κρίσεις ἐδίκαζον. id est, *Collis Martius dicitur, in quo de cædibus (quæ ferro & armis perpetrantur) judicia fiebant.*

Alii tamen Areopagum sive Martis collem vocatum fuisse volunt, quòd Amazones illum urbis locum occupatum pro arce belli munierunt, & Marti hostias ibi immolârunt. Ità sensisse videtur Æschylus Eumenidibus, qui locum illum Ἀμαζόνων ἕδραν appellat, quòd ibi Amazones tentoria figebant, & Marti sacrificabant: Ἄρει δὲ ἔθυον, inquit, ἔνθεν ἐς ἐπώνυμος Πέτρα, πάγος τ' Ἄρειος. Ea de causa idem Athenarum locus Ἀμαζόνιον nonnullis vocatur. Amazonum contra Theseum Athenienssium regem expeditio, annis propè trecentis post mortem Cecropis facta est; de qua in Heroïcis agimus.

A. M. 2499. ante Christum 1504.

MOSIS 72.

TRiopæ (cui annos 46 tribuit Eusebius) defuncto succedit Crotopus Agenoris filius, Triopæ N. octavus Argivorum rex,

rex, regnátque annos 21. Hunc Iaſo patruo ſucceſſiſſe, auctor eſt Pauſanias.

Crotopi filia Pſamathe ab Apolline compreſſa, Linum peperit filium, qui à canibus diſcerptus eſt: de quo Ovidius, poëmatio in Ibin, *Quique Crotopiadæ diripuêre Linum.* Hiſtoriam ſic narrat Conon, apud Photium: Pſamathe Crotopi filia ex Apolline gravida peperit, patrémque verita, infantem expoſuit, Lini nomine indito. Paſtor repertum pro ſuo educavit: ſed gregis canes infantem fortè lacerárunt. Illa verò cùm dolore ex eo valde commoveretur, deprehenditur à patre, qui corruptam eam, & falſò in Apollinem vitium referre arbitratus, capitis damnat. Quare Apollo, ob amatæ cædem irâ commotus, peſte Argivos vexavit, conſultúſque de averruncando malo, Pſamathén & Linum placandos reſpondit. Argivi igitur præter cæteros honores illis exhibitos, fœminas etiam cum virginibus ad Linum deplorandum miſerunt: quæ cùm deplorationes obteſtationibus miſcerent, non illorum ſolùm, ſed ſua etiam infortunia deplorabant. Adeò autem decenter Linum illæ luxerunt, ut ex eo à Poëtis, qui deinceps ſequuti ſunt, in omni penè lamentationum genere Linus decantatus inſeratur. Heſiodus, citante Euſtathio, hujus Lini memor, ſic canit:

Ὃν δὲ ὅσοι βροτοὶ εἰσιν ἀοιδοὶ καὶ κιθαρισταὶ
Πάντες μὲν θρηνοῦσιν ἐν εἰλαπίναις τε καὶ χοροῖσιν,
Ἀρχόμενοι δὲ Λίνον καὶ λήγοντες καλέσσιν.

Apud Homerum quoque Iliados 18, ubi Scutum Achillis à Vulcano fabrefactum luculenter deſcribitur, inter alia puer citharœdus effingitur Linum canens: Ἱμέρσεν κιθαρίζε, Λίνον δ' ὑπὸ καλὸν ἄειδεν. Ibi Scholiaſtes notat, de Lino infante Apollinis filio intelligi, qui à canibus diſcerptus fuit. Pauſanias Atticis, hiſtoriam de Pſamathe Crotopi filia, & puero à canibus regii pecoris cuſtodibus dilacerato, commemorat, ſed pueri nomen non exprimit. Homeri autem locum de alio Lino intelligendum putat ille, Bœoticis: *Linum* (inquit) *Amphimaro Neptuni filio genitum, muſices gloriâ omnes ſuperiores excelluiſſe aiunt, & ab Apolline, cui ſe cantu conferebat, occiſum. De Lini quidem morte ad Barbaras etiam gentes luctus pervenit: ſiquidem apud Ægyptios cantilena uſurpata eſt, quam Græci* Λίνον, *Ægyptii verò patriâ voce* Μανέρων *appellárunt: ſed Græci Poëtæ, & in primis Homerus, ejus cantilenæ tanquam Græcæ mentionem fecerunt: cùm enim*

(Homerus) *Lini casus cognitos haberet, in Achillis clypeo Vulcanum inter alia cælâsse commentus est puerum fidibus canentem Linum. At Pamphus, qui Athenienſibus hymnos antiquiſsimos fecit, increbreſcente ob Lini mortem luctu,* ὀιτολίνον, *id est, Flebilem Linum, dixit. Sappho deinde Lesbia, ſumpto è Pamphi verſibus Oetolini nomine, Adonim ipſa ſimul & Oetolinum decantavit.* Hæc Pauſanias. Quibus addendus est locus Herodoti, in Euterpe: *Ægyptiis,* inquit, *cùm alia ſunt egregia inſtituta, tum verò etiam Linus cantio in Phœnice & Cypro & aliis locis decantata: quæ varium quidem pro ſingularum gentium differentia nomen habet: ſed (ut inter omnes convenit) eadem illa est, quam Græci canunt, & Linum appellant: ut cùm alia multa quæ ſunt in Ægypto, tum etiam illud admirer, unde Lini illis, quem videntur jam indè ab omni ævo cecinisse, nomen ſit exortum. Vocatur porrò Linus Ægyptiacè Maneros: quem Ægyptii tradiderunt, cùm filius unicus extitisset primi ipſorum Regis, præmaturâque morte deceſsisset, his lamentis ab Ægyptiis fuisse decoratum; & cantilenam hanc ſolam esse, & primam ipſis inſtitutam.* Hactenus Herodotus. Apud Heſychium Λίνον dicitur esse ᾠδῆς ὄνομα, *Cantilenæ nomen:* quod præfixo σχετλιαστικῷ adverbio, αἴλινον Poëtis effertur. Linum Pſamathes filium malè nonnulli confundunt cum Lino poëta, cujus ætas incidit in Annum Mundi 2748. Vide Servium ad Maronis eclogam quartam.

A. M. 2500. *ante Chriſtum* 1503.
MOSIS 73.

CEcrops Athenis moritur. Quem in Minervio terræ mandatum esse, id est, humatum, ſcripſit Antiochus hiſtoriarum libro nono, ut apud Arnobium legimus. A Cecropis tempore Athenis manſit hic mos corporis terrâ humandi, ut docet M. Tullius lib. 2. de Legibus. Troïcis autem temporibus crematio cadaverum fuit uſitata.

Cecropis filius Eryſichthon ad regnum non acceſſit; patre enim vivente, ut ſuprà notavimus, è vita deceſſit: quo factum est, ut Cecrope mortuo, Cranaus, qui opibus & potentiâ inter Athenienſes præstabat, regno potiretur. Κραναὸς exponitur τραχὺς, aſper & ſterilis. Talis erat terra Attica: unde & κραναὶ Athenæ dictæ. Hinc igitur nomen habuit Cecropis ſucceſſor Cranaus. Contrà autem Strabo lib. 9. à rege Cranao omnes regionis incolas κραναὸς dici tradidit.

tradidit. Vide Scholiaſten Ariſtophanis Acharnenſibus, ubi docet, quare Athenæ dicantur κραναὰ πόλις. Notat Euſtathius, Atticam κραναὴν appellari, non ſolùm à rege Cranao, ſed etiam quòd aſpera ſit & montibus ſubjaceat. Apud Strabonem quoque χώρα παχύλυπος dicitur, id eſt, *regio ſubaſpera*, cujus ſolum tenue, macrum, & minùs pingue: qua de cauſa λεπτόγεως Veteribus dicta eſt. Ob hanc ſoli aſperitatem petricoſam, à nemine olim oppugnati ſunt Attici, ac proinde αὐτόχθονες ſeu indigenæ habiti, cùm nemo eos pelleret, neque ipſorum agrum quiſquam expeteret, ut ſcribit Thucydides libro primo.

Atthis Cranai Regis filia fuit, à qua regio Ἀτθὶς & Ἀττικὴ denominata eſt, quæ priùs ἀκταία, id eſt, *littoralis*, dicebatur. Apollodorus tres Cranai filias memorat, Cranaën, Cranæchmen, & Atthidem; quæ cùm adhuc virgo obiiſſet, τὴν χώραν Κραναὸς Ἀτθίδα μετωνόμασεν, id eſt, *Cranaus ab ea regionem Atthida nuncupavit*. Pauſanias: *Cranao & alias* (inquit) *fuiſſe filias ferunt, & Atthidem, à qua tota regio, quæ priùs Actæa dicebatur, Attica nominata eſt.*

Hellen & Amphictyon, Deucalionis filii, in Græcia principatum obtinent octo circiter annis poſt cataclyſmum, ut notat Euſebius. Hellen Theſſali filius vocatur apud Ethnicographum: ſed Theſſalus ibi non alius intelligendus eſt, quàm ipſe Deucalion, qui in ea parte Græciæ regnavit, quæ pòſt Theſſalia dicta fuit. Apud eundem ſcriptorem Hellen γραικὸς appellatur: ſed ab ipſo Hellene Ἕλληνες denominari cœperunt, qui priùs Γραικοὶ & Γραικοὶ, id eſt, *Antiqui*, dicebantur. Apollodorus, libro primo: Αὐτὸς μὲν οὖν (Ἕλλην) ἀφ' ἑαυτοῦ τοὺς καλουμένους γραικοὺς, μετωνόμασεν Ἕλληνας. hoc eſt, *Ipſe Hellen Deucalionis filius de ſuo nomine Hellenas eos appellavit, qui priùs Græci dicebantur.* Græcos priùs fuiſſe appellatos, docet etiam Ariſtoteles, libro primo De Meteoris: *Antiqua Hellas*, inquit, *erat circa Dodonam & Acheloum:* ὤκουν γὰρ οἱ Σελλοὶ ἐνταῦθα, καὶ οἱ καλούμενοι τότε μὲν Γραικοὶ, νῦν δὲ Ἕλληνες. id eſt, *Ibi enim Selli habitabant, & qui tunc Græci vocabantur, nunc Hellenes.* Eſt verò animadverſione dignum, utramque vocem Græcis poſtea omnibus fuiſſe communicatam, cùm origo utriuſque appellationis ſit in ea parte Græciæ, quæ pòſt Theſſalia nominata eſt. Nam ex Thucydide & Ariſtotele diſcimus, Ἑλλάδα propriè & antiquitus ſic appellatam, eam eſſe Theſſaliæ partem, ubi eſt Dodone, & Acheloi fontes: ibi igitur primùm Ἕλληνες ſunt

appellati, qui priùs Γραικοὶ dicebantur. Nomen Ἑλλήνων ipsi Græci dehinc retinuerunt: se autem Γραικοὺς non solent appellare. Contrà verò Itali & Latini prisco illo vocabulo potiùs sunt delectati. Eos enim Graios & Grajugenas & Græcos, totámque regionem Græciam appellitant. Veruntamen Γραικῶν appellationem, quam vulgus Græcorum respuit, ipsorum Poëtæ non sunt aspernati. Callimachus: Γραικοὶ καὶ γαίης ἡμετέρης ἀδαεῖς, id est, Ἕλληνες. Et Lycophroni Protesilaus est Γραικῶν ἄριστος, *Græcorum præstantissimus.* Quinetiam Alcman & Sophocles γραῖκας dixerunt τὰς τῶν Ἑλλήνων μητέρας, *Græcorum matres*, ut docemur ex Stephani Ethnicis.

Hellenes antiquitus dicti sunt, qui Thessaliam habitabant. Tempore Belli Trojani, non totius quidem Thessaliæ, nedum universæ Græciæ habitatores Hellenas fuisse appellatos, ex Homero satis constat, qui Myrmidonas & Hellenas recenset inter Achillis comites, qui eum ad bellum illud sequuti sunt. Apud eundem Poëtam Hellas unius in Thessalia civitatis nomen est, quam Ἑλλάδα καλλιγυναῖκα dixit. Ità Straboni & aliis Hellas est πόλις Θεσσαλίας.

Thessaliæ nomen quando & à quo fuerit inditum, videamus. Priùs quidem Pelasgiam, & Pyrrhæam, & Hæmoniam dictam fuisse legimus. Pyrrhæam à Pyrrha Deucalionis uxore eam regionem denominatam esse, suprà ex Rhiano ostendimus. Idem Scriptor Hæmoniam ab Hæmone Pelasgi filio, & postea Thessaliam à Thessalo Hæmonis filio fuisse appellatam, his versibus tradidit:

Αἱμονίην δ' ἐξαῦτις ἀφ' Αἵμονος, ὃν ῥα Πελασγὸς
Γείνατο, φέρτατον υἱὸν· ὁ δ' ἄρ τέκε Θεσσαλὸν Αἵμων.
Τοῦ δ' ἀπὸ Θεσσαλίην λαοὶ μετεφημίξαντο.

In duas partes divisam fuisse regionem quidam aiunt, quarum altera obtigerit sorte Deucalioni, altera Hæmoni, ut scribit Strabo libro nono; qui de variis hujus Regionis appellationibus cum Rhiano sentit. Diodorus Siculus Thessaliæ nomen à Thessalo Jasonis & Medeæ filio manâsse affirmat, libro quarto. Verùm post Troïca tempora huic Regioni Thessaliæ nomen inditum esse, vel illud argumento est, quòd eam Homerus nusquam hoc nomine appellaverit. Et propterea tragicos Poëtas reprehendit Velleius Paterculus, qui de seculo Iliaco loquentes, nomen Thessaliæ usurpant, cùm nondum ità ea regio vocaretur. Propior igitur vero ea videtur sententia,

tentia, quam retulit Strabo lib. 9. extremo, his verbis: Τὰς δ' ἀπὸ Ἐφύρας τῆς Θεσπρωτίδος ἀπιόντας Ἄντιφον καὶ Φειδίππους τοὺς Θετταλῷ τῷ Ἡρακλέους, ἐπιλθόντας, ἀπὸ Θετταλοῦ τοῦ ἑαυτῶν φασὶν τὴν χώραν ὀνομάσαι. id est, *Posteros Antiphi & Phidippi filiorum Thessali, filii Herculis, ab Ephyra Thesprotide reduces, à Thessalo sui generis auctore regioni nomen imposuisse, aiunt.* Itaque de nomine Thessali Herculis filii Thessaliam appellatam dixerimus, & tamen hoc nomen post Iliaca tempora regioni fuisse impositum ab ipsius Thessali posteris. Hic est ille Thessalus, quem Hercules ex Eurypyli filia genuit, ut apud Apollodorum legimus. Hujus Thessali Heraclidæ filios Phidippum & Antiphum commemorat Homerus in Catalogo; quos ait navibus Coorum præfuisse.

Protogeneia Deucalionis filia fuit, ex qua Jupiter Aëthlium procreavit, ut scribit Apollodorus libro primo. Aëthlius Endymionis pater est.

A. M. 2507. *ante Christum* 1496.

MOSIS 80.

MOses quadraginta annorum erat, cùm fugit in terram Madian: & post id temporis, quadraginta annis expletis, apparuit ei Angelus in flamma rubi. Sic enim legimus Act. 7. 29. *Fugit Moses, & fuit advena in terra Madian, ubi generavit filios duos:* καὶ πληρωθέντων ἐτῶν τεσσεράκοντα, ὤφθη αὐτῷ ἐν τῇ ἐρήμῳ τοῦ ὄρους Σινᾶ ἄγγελος Κυρίου ἐν φλογὶ πυρὸς βάτου. Illa igitur apparitio contigit Mosi jam octogenario. Nam statim post illam apparitionem Deus Mosem liberationi populi sui deputavit; quo tempore fuisse eum octoginta annorum, legimus Exod. 7. 7. *Erat Moses octoginta annorum, & Aaron octoginta trium, quando loquuti sunt ad Pharaonem.* Universa porrò ætas Mosis, fuit centum viginti annorum, in tres admodum insignes Quadragenas partita. In prima Quadragena mirabiliter ab interitu servatus est, & à filia Regis adoptatus, & omni sapientiâ Ægyptiorum eruditus, & contemptis bonis Ægypti, pro liberatione suæ gentis, Ægyptium hominem occidere non timuit. In altera Quadragena, fugiens in terram Madian, pastoralem vitam agit, in omni philosophia animum exercens. Et creditur tunc scripsisse librum Geneseos, & item librum Job, ut Hebræos asperrimâ servitute afflictatos consolaretur, & confirmaret, proponendo eis exemplum patientiæ Job, & exempla majorum suorum, Abrahami, Isaaci, & Jacobi; denique

denique eis in memoriam revocando promissa Dei de ipsorum liberatione, & introductione in Terram Canaan. His studiis & exercitiis cùm vacaret vir sanctissimus, admirabili Dei apparitione dignus habitus est. In tertia Quadragena, maximis editis prodigiis, eduxit populum ex Ægypto, eósque rexit in Deserto.

Moses annos 80 natus, postquam Deus illi apparuisset in rubo ardente & incombusto, missus est in Ægyptum, ad liberandum Dei populum è servitute, Exod. 3. & 4. Legatio Mosis ad Pharaonem, fuit mensium circiter undecim, videlicet à fine messis usque ad initium sequentis. Messis autem in Ægypto initium putatur incidisse in eum mensem, qui Aprili nostro ferè respondeat.

A. M. 2508. *ante Christum* 1495.
MOSIS 81.

INeunte mense Ægyptiaco Pharmuthi, Aprilis die secundo, juxta Cappelli computationem, Deus Mosi dicit, *Hic mensis vobis principium mensium: princeps hic vobis in mensibus anni*, Exod. 12. 2. Quibus verbis priscum mensium ordinem à Deo mutatum esse, aliqui censent; ità ut Israëlitis primus vocetur mensis iste, qui Ægyptiis nonus habebatur. Rectiùs forsan dixerimus, Deum ideo hîc retulisse initium Reipublicæ Israëlitarum ad primum mensem vernum, quia is erat Anni simpliciter ac naturâ primus; quo scilicet mense Mundus inceperit, ut in nostra ad Chronicon catholicum Paraseeve fusiùs ostendimus.

Mensis hujus primi (qui Nisan postea dictus) die decimo, Aprilis (ut putat Cappellus) undecimo, Israëlitæ seligunt Agnum Paschalem. Die Nisan 14. Aprilis 15. sub vesperam Agnus immolatur, assatur igni, manducatur ab Israëlitis festinantibus & velut in procinctù stantibus. Sequente nocte mediâ omnes Primogeniti Ægyptiorum ab Angelo Destructore morti traduntur. Tum Pharao, qui hactenus adversus Dei minas & mandata cervicem obfirmaverat, obtorto collo pertrahitur ad obsequium. Ità qui ad pauculos duntaxat dies pernegaverat Israëlitis ab Ægypto profectionem, is jam confestim emigrare eos jubet: Quin & precibus Israëlitas demulcent Ægyptii, quò celeriùs exirent: dúmque totâ intentione urgent abscessum eorum, vel obliti sunt bona sua ab eis repetere, quæ scilicet post nonam plagam Hebræis commodaverant;

verant; vel ut quamprimum & ſine ulla mora abirent, nè repetere quidem curârunt, Exod. 12.

EXODUS.

EXodus Iſraëlitarum ab Ægypto fuit annis quadringentis poſt natum Iſaacum, quadringentis triginta poſt migratam primùm Chaldæam & primam Promiſſionem Abrahamo factam, annis denique (ut Judæi agnoſcunt) quingentis poſt Abrahami nativitatem. Natus eſt Abraham Anno mundi 2007. Promiſſio prima facta eſt Anno ætatis Abrahami ſeptuageſimo, cùm evocatus eſt ex Ur Chaldæorum. Iſaac autem natus eſt, cùm eſſet Abraham centum annorum. Numerandi ſunt ergò anni illi quadringenti, quorum fit mentio Gen. 15. 13. ab Iſaaci nativitate, ut ſuprà docuimus. Nam Scriptura ibi non dicit à quo tempore ſervitus aut habitatio filiorum Iſraël in Ægypto cœperit, ſed tantùm vult ſignificare, ad quod uſque tempus producenda foret. Idem dicendum eſt de illo altero Scripturæ loco Exod. 12. 40. ubi dicitur habitatio filiorum Iſraël in Ægypto fuiſſe 430 annorum. Conſtat autem, in Ægypto Iſraëlitas commoratos fuiſſe annis tantummodo 210, ut omnes Rabbini tradunt. Igitur illi quadringenti & triginta anni ſupputandi ſunt à prima Promiſſione, ut diximus ad Annum 2077. Nam triginta illi & quadringenti anni pertinent non ſolùm ad habitationem poſterorum Jacobi in Ægypto, ſed etiam ad habitationem ſive peregrinationem Abrahæ, Iſaaci & Jacobi in terra Chanaan. In illis ergò verbis Moſis, duplex eſt ſynecdoche: una eſt, cùm memorat tantùm Jacobi poſteros, cùm revera memorandi eſſent pariter eorum patres, Abraham, Iſaac, & Jacob: altera eſt συνεκδοχὴ in eo, quòd nominat tantùm habitationem in Ægypto, cùm tamen memoranda eſſet non ſolùm hæc, ſed etiam habitatio (trium patriarcharum) in terra Chanaan. Cauſa verò, cur Moſes tantùm nominaverit manſionem Hebræorum in Ægypto, triplex eſſe potuit. Primò enim, totius habitationis 430 annorum, & initium fuit in Ægypto, & finis. Nam Abraham ſtatim ut venit ex Meſopotamia in terram Chanaan, cogente fame, deſcendit in Ægyptum. Deinde, illius habitationis 430 annorum major pars in Ægypto conſumpta eſt. His accedit, quòd habitatio Hebræorum in Ægypto multis modis fuit nobilitata: Primò, quia Joſeph toti præfuit Ægypto per

octoginta annos: deinde, quia poſt mortem Joſephi admiranda fuit multiplicatio Hebræorum, licèt aſperrimâ ſervitute premerentur ab Ægyptiis: Denique, eo quòd multa & magna Deus per Moſem ibi fecit prodigia, quæ liberationem eorum atque exitum ex Ægypto valde memorabilem reddiderunt. Hæc expoſitio poſt Liranum tradita eſt à Pererio, Cappello, & aliis. Eundem ſenſum verborum Moſis Septuaginta Interpretes in Tranſlatione ſua poſuerunt. Sic enim vertunt: Ἡ δὲ παροίκησις τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ, ἣν παρῴκησαν ἐν γῇ Αἰγύπτῳ [καὶ ἐν γῇ Χαναὰν, αὐτοὶ καὶ οἱ πατέρες αὐτῶν,] ἔτη τετρακόσια τριάκοντα. Joſephus etiam eodem modo intellexit. Sic enim ille Antiq. lib. 2. Κατέλιπον δὲ τὴν Αἴγυπτον μηνὶ ξανθικῷ, πέμπτῃ καὶ δεκάτῃ κατὰ σελήνην, μετὰ ἔτη τριάκοντα καὶ τετρακόσια ἢ τὸν πρόγονον ἡμῶν Ἄβραμον εἰς τὴν Χαναναίαν ἐλθεῖν. id eſt, *Reliquerunt Ægyptum menſe Xanthico, lunâ 15, anno 430 pòſt quàm Abram pater noſter venit in Chananæam.* Vult quidem Joſephus, Iſraëlitas in Ægypto manſiſſe ducentos & quindecim annos. Cæteri verò omnes Judæi & Chaldæus Paraphraſtes, manſionem filiorum Iſraël in Ægypto annis 210 conſtanter definiunt: quæ ſententia probatur Nicolao, Cajetano, aliis.

Itinera Iſraëlitarum poſt exitum ex Ægypto, & Series rerum anno primo geſtarum.

ISraëlitæ die 15 Menſis Niſan (Aprilis 16) de Rameſſe profecti, in Succoth perveniunt. Hic Dies primus azymorum dicitur. Quę quidem ſolennitas ſeptem dierum erat, & in 21 diem menſis extendebatur. Vide Exod. 12. 18. Levit. 23. 5. Num. 28. 16. Præceptum verò de panibus azymis per ſeptem dies comedendis, non pertinuit ad hanc primam Paſchatis celebrationem in Ægypto factam, ſed ad alias deinceps ſingulis annis faciendas. Eſt igitur obſervandum, quæ Exodi capite duodecimo uſque ad finem verſiculi 14, de celebrando Paſchate præcipiuntur, ea omnia Hebræis fuiſſe obſervata, in prima hac celebratione: cætera, quæ ibi ſequuntur, ad alias celebrationes, quæ conſequentibus temporibus fieri debebant, eſſe referenda. Vide Pererium Diſputatione ſeptimâ in 12 caput Exodi. De primo autem Paſchate quæritur, quoto Menſis die fuerit celebratum. Reſpondetur, Decimo quarto die ad veſperam Agnus Paſchalis mactatus eſt: pòſt, ingunte nocte, quæ jam pertinebat ad decimum quintum diem, epulati ſunt, Paſchale convivium

convivium agitantes. Eâdem nocte, occisis Primogenitis, concurrentes Ægyptii ad domos Hebræorum, instantissimè compulerunt eos quamprimum ex Ægypto discedere. Discesserunt igitur 15 die Mensis, qui in quintam feriam incidit. Sic enim veteres Judæi notârunt, primum Pascha in feriam quintam incidisse: malè autem quidam eorum Nisan 14 intelligunt.

Numerus virorum, bellatorum scilicet, qui ductu Mosis egressi sunt ex Ægypto, ponitur Exod. 12. 37. his verbis, *Profecti sunt filii Israël de Rameſſe in Succoth, circiter ſexcenta millia peditum virorum* (qui scilicet per ætatem idonei erant ad bellandum) *præter parvulos & mulieres: ſed & vulgus promiſcuum innumerabile aſcendit cum eis; & oves, & armenta, & pecora admodum multa.* Moris apud Hebræos fuit, milites à vigesimo anno & suprà conscribere: nemo enim ante 20 ætatis annum censebatur ad militiam idoneus. Horum igitur sexcenta ferè millia erant. Tradunt hujus rei periti (ut observat Pererius) bellatores alicujus populi vel gentis censeri, æstimarique, tanquam duas quintas partes illius populi, & habere se ut quadraginta ad centum. Ergò, si addamus universam turbam imbellium, mulierum scilicet, & decrepitorum senum, & eorum qui nondum ad vigesimum ætatis annum pervenerant, universa illa multitudo Hebræi populi juxta computationem habuerit decies & quinquies centena millia hominum. Quibus aggregatum est promiscuum vulgus Ægyptiorum, qui conversi ad religionem Hebræorum, eos abeuntes comitari voluerunt. Itaque non improbabiliter quidam opinati sunt, universam illam multitudinem fuisse ad tricies centena millia hominum. Meritò igitur Scriptura Exod. 12. 41. instar miraculi narrat, universam istam hominum multitudinem eodem die de Ægypto exisse, non confusè, aut dissipatè, sed tanquam instructo agmine procedentem. Nocte quidem, urgentibus Ægyptiis, discessus eorum incœptus est; summo autem mane, cùm jam dilucularet, plena, & dispositа, atque in modum instructi & ordinati exercitûs, profectio eorum facta est, videntibus Ægyptiis; qui ob cædem suorum primogenitorum valde mœsti, & turbati, totique in id intenti erant, ut mortuos suos sepelirent. Vide Num. 33. 3, 4. Nè quis autem miretur, quî fieri potuerit, ut tanta multitudo Hebræorum per omnem terram Gosen sparsè habitans, tam brevi tempore non solùm congregaretur, sed bene ordinata in

modum exercitûs ex Ægypto prodiret; admirationem hanc tollit Josephus Antiq. libro secundo, ità scribens: Ὁμοῦ ἑτοίμους ἔχων ἤδη τοὺς Ἑβραίους πρὸς τὴν ἔξοδον, καὶ διατάξας εἰς φρατρίας, ἐν αὐτῷ συνεῖχεν. id est, *Ipse* (Moses) *Hebræos priùs instructos ad profectionem, & per sodalitia distributos, in uno loco continebat.* Præmonitu igitur Mosis, Hebræi congregati fuerant circa Rameſſen, quæ est urbs in terra Gosen, & indè signo dato, sine mora, expeditè profecti sunt. Prima eorum mansio fuit in Succoth: qui locus, ut videtur, à tuguriolis ibi factis nomen habuit.

Nisan 16. *Aprilis* 17.

A Succoth Israëlitæ veniunt in Etham, ibíque castrametantur in finibus Deserti. Eos autem præcedebat Columna Nubis, tanquam index & dux itineris. Via compendiaria ex Ægypto in terram Chanaan, erat per Philistæorum regionem. Deus autem noluit eos ducere per viam hanc, nè pœniteret eos, si vidissent adversum se bella consurgere, & ob hanc, vel aliam quamcunque occasionem vellent in Ægyptum regredi. Igitur circumduxit eos per viam Deserti, Exod. 13. 17, 18. Præcipua verò causa, cur Deus per tam longam & asperam viam voluit eos ducere, exponitur capite octavo Deuteronomii; nempe, ut eos doceret, & erudiret. Nam & rudes erant, & animos ignavos gerebant, ut qui in servitute nati, educatíque fuissent. Quapropter Dominus paulatim eos condocefecit res arduas & laboriosas perferre. Quò spectant verba Mosis Deut. 32. ubi ait, Deum similiter feciſſe cum populo Hebræo, atque solet aquila cum pullis suis, quos paulatim assuefacit volatui, antequam emittat ad prædandum.

Nubis Columna, quæ præcedebat Israëlitas, nunquam eis defuit per diem, nec Columna Ignis per noctem, ex quo tempore profecti sunt ab Ægypto, quoad attigerunt fines terræ Promissionis. Per hanc Columnam Deus Israëlitis præmonstrabat viam, quam ingredi eos, ac tenere volebat. Aliquando enim movebatur Columna, & aliquando quiescebat; ut ex ejus quiete ac motu populus cognosceret, quando sibi faciendum iter esset, & quando sistendum, atque quiescendum. Cùm movebatur Columna, ea semper præibat castra Hebræorum: cùm autem quiescebat, manebat quasi suspensa super Tabernaculum Domini, tanquam incubans ipsi: &

in

in illa Columna sæpenumero Deus apparebat Mosi, edebátque oracula; aut consultus responsa reddebat, suámque magnificentiam & gloriam manifestè spectantibus Hebræis declarabat. Necesse autem est, ut majorem in modum excelsa fuerit ea Columna, & in sublime porrecta, quò posset undequaque, etiam è longinquo, ab omnibus cerni: videbant enim illam omnes Hebræi, ex omnibus suis tabernaculis, cùm tamen castra (quæ tot millia hominum continebant) ampliſſimum locum occuparent, non minorem certè, quàm decem milliarium. Vide Pererium Disputationibus in 13 caput Exodi. Nisan 17 Sabbatum fuisse putat Cappellus, eóque die populum quievisse.

Nisan 18. *Aprilis* 19.

ISraëlitæ veniunt in Pi-hachiroth: quo nomine locus concluſus & anguſtus videtur denotari. In loco anguſto tanquam carcere incluſos opprimi posse putat Pharao: itaque armatis aliquot peditibus totóque equitatu & curribus sexcentis Hebræos insequitur, Exod. 14.

Nisan 21. *Aprilis* 22.

PRofecti à Pi-hachiroth Israëlitæ ad Mare Rubrum accessêre, circa primam noctis vigiliam, & metu insequentium hostium clamaverunt ad Dominum: Mosem verò accusant, quòd Ægypto eos eduxisset, ut in solitudine morerentur. Moses Dei jussu Mare Rubrum virgâ suâ percutit. Quo facto, aquæ divisæ sunt, ità ut pateret via per Maris profundum. Sed quia fundum Maris admodum erat humidum & limosum, nec bene pedibus meabile, substiterunt Hebræi in littore: tunc Deus immisit ventum Orientalem, cujus flatu, ab initio noctis usque ad mediam noctem & ultrà, siccatum est solum Maris. Cessante vento, Hebræi circa tertiam noctis vigiliam ingressi sunt per viam illam Maris. Cúmque Ægyptii jam propinquarent, Columna Nubis & Ignis (cujus motum Angelus Domini regebat & moderabatur) recedens ab anteriore parte exercitûs Hebræorum, ad partem posteriorem se transtulit, & inter castra Ægyptiorum atque Hebræorum se interposuit, illis tenebrosam speciem præstans, his autem claram lucem præbens. Itaque ingressis in Maris fundum Hebræis, Columna, quæ præire eos soli-

ta est, tunc subsequebatur, & inter castra Hebræorum atque Ægyptiorum interposita obstabat nè Ægyptii ad Hebræos accedere valerent: eadem tamen Columna Ignis, quæ jam subsequebatur exercitum Hebræorum, iter eorum dirigebat. Nam non modò antrorsum illuminabat tota eorum castra, sed etiam ultra primum vexillum (quod Tribus Juda in anteriore parte exercitûs ferebat) per aliquod spatium porrigebatur ejus lumen, ità ut Radii in modum semitæ cujusdam coanguſtati, inter noctis tenebras viam luminosam efficerent. Circa initium quartæ vigiliæ, Hebræi per viam divinitus datam evaserunt omnes ad littus incolumes.

Ægyptii, qui cæco impetu ac furore Israëlitas insequuti sunt, circa finem tertiæ vigiliæ, ausi erant etiam ipsi viam ingredi in Rubro Mari factam. Sed postquam Hebræi jam egressi essent, universúsque Pharaonis exercitus in medio esset Mari, terror Ægyptiis divinitus est injectus, sive is Panicus quidam terror fuerit, sive ex Columna Nubis tonitrua & fulgura fuerint generata. Hanc animorum consternationem tumultus consecutus est. Nam exterritis equis, & curribus inter se impingentibus, fractísque axibus in tanta trepidatione, curruum rotæ partim ablatæ, partim confractæ sunt. Tunc Pharao confessus est Dominum victorem, & princeps fugæ ineundæ fuit. Fugientibus Ægyptiis, circa vigiliam matutinam (quæ est quarta noctis vigilia) cùm jam propè esset diluculum, Moses Dei jussu iterum Maris aquas baculo percutit, & refunditur mare in priorem locum suum, totúmque Pharaonis exercitum fluctibus involvit. Ità periit ipse Pharao Cenchres, qui malorum Hebræi populi auctor fuerat; & omnes Ægyptii, qui ingressi fuerant Mare Rubrum, ut Israëlitas persequerentur & fugientes opprimerent, undis refluentibus obruti interierunt, ut nè unus quidem eorum superfuerit, Exod. 14.

Traducto mirabiliter per Mare Rubrum Hebræo populo, & hostibus ejus in eodem mari demersis, Moses Carmen fecit ἐπινίκιον, & id tum ipse cum filiis Israël, tum etiam seorsum Maria Mosis soror cum mulieribus, Dei laudes & actionem gratiarum continens, decantârunt, Exod. 15. Hoc primum est omnium Canticorum, quæ fuisse unquam facta, vel cantata, sive in sacris, sive in exoticis literarum monumentis proditum sit. Rectè igitur Origenes Homiliâ in Exodi caput 15, *Multa*, inquit, *Cantica esse antiquitus facta legimus*

legimus in ſacris literis: omnium verò primum eſt hoc Canticum Moſis, quod Ægyptiis & Pharaone ſubmerſis, populus Dei poſt victoriam cecinit.

Egreſſi è Mari Rubro Hebræi, in Deſertum Sur venerunt, ambulaverúntque tribus diebus per ſolitudinem, & non inveniebant aquam, ut ſcribit Moſes Exod. 15. 22. Deſertum Sur videtur eſſe pars Deſerti Etham. Nam Numerorum capite 33. 8. ſcriptum eſt, Iſraëlitas marî egreſſos ambulâſſe tribus diebus per Deſertum Etham. Antequam ad Mare Rubrum accederent, in extremitate ſolitudinis Etham caſtrametatos eſſe legimus Exod. 13. 20. Mari trajecto, ſi rurſus intrârunt eandem ſolitudinem Etham, videtur tam vaſtum eſſe illud Deſertum Etham, ut ab una ripa Sinûs illius Arabici ad alteram extenderetur: niſi Toſtati opinio magis placeat, qui vult, Hebræos non totam Maris Rubrî latitudinem tranſmeaviſſe, ſed reflexo itinere ad idem littus, unde ingreſſi mare fuerant, rediiſſe. Druſius ex Rabbinis quibuſdam notat, Hebræorum iter per mare fuiſſe figurâ ſemicirculari. Quam opinionem refellit Liranus. Et Lirani ſententiæ accedens Cajetanus, docet, Hebræos tranſiſſe Mare Rubrum, & uſque ad littus oppoſitum perveniſſe. Neque aliter ſenſiſſe videntur veteres Scriptores, Philo Judæus, Flavius Joſephus, & Gregorius Nyſſenus; quibus aſſentitur Pererius. Deſerti Sur è regione Ægypti mentio eſt 1. Sam. 15. 7. In hac eremo Iſraëlitæ ſiti affliguntur, quòd nulli eſſent fontes, nullæ aquæ in hoc arido Deſerto; aut ſiquæ fortè erant, non tamen ſufficiebant tantæ hominum multitudini.

Niſan 24. *Aprilis* 25.

ISraëlitæ tridui iter emenſi, in Mara perveniunt, locum ab aquarum amaritudine ità dictum. Cùm illæ aquæ bibi non poterant, Deus Moſi lignum indicat, quo aquis injecto, ſapor mutatus eſt, Exod. 15. 23. Lignum illud naturalem vim habuiſſe emendandi amarum aquæ ſaporem, nonnulli exiſtimant. Ità ſenſiſſe videtur Siracides cap. 38. Alii in hac ſanatione aquarum, miraculum agnoſcunt, ſicut quando Eliſæus ſale injecto Hierichuntinas aquas ſalubres reddidit, cùm tamen aquæ ſalſæ impotabiles ſint.

Niſan

Niſan 25. Aprilis 26.

ISraëlitæ veniunt in Elim, locum irriguum, ubi erant fontes 12, & palmæ ſeptuaginta. Inibi videntur aliquot dies ſubſtitiſſe. Vide Exod. 15. 27. Num. 33. 9. Profecti ex Elim, venerunt ad mare Suph, quod Græcis Interpretibus θάλασσα Ἐρυθρὰ dicitur, Num. cap. 33. 10. Unde apparet, Hebræos rurſus ad Rubri Maris littus quaſi regrediendo veniſſe; niſi potiùs dicendum, illis in itinere pergentibus Sinum aliquem illius Maris occurriſſe, juxta quem caſtrametati ſint.

Mare quidem illud, in quo Ægyptii ſubmerſi ſunt, Hebræorum linguâ *Jam Suph* appellatur Exod. 15. 4. non quòd hæc vox *Suph Rubrum* ſignificet, licèt id dicat B. Hieronymus epiſtolâ ad Fabiolam. A verbo autem *Suph*, quod *Deficere* & *Finiri* ſignificat, finis ſeu extremitas *Soph* dicitur, atque idcirco alga ſeu juncus Hebraicè vocatur *Suph*, quòd in extremitate fluminum & marium creſcat. Hinc igitur Mare Suph denominatur, quia per circuitum ejus carices & papyri naſcantur, quaſi dicas Mare papyroſum & caricoſum. Id poſt Liranum notavit Druſius, ad difficiliora Loca Exodi. Scribit autem Strabo, in tota Rubri Maris ora, arbores in profundo naſci, lauro & oleæ perſimiles, quæ in refluxibus ejus Maris detegantur. Quibus conſentanea tradit Plinius: In mari Rubro oleas, florentéſque frutices enaſci.

Hunc Sinum Arabicum in ſacris literis Græci Interpretes ſemper ferè appellant τὸν Ἐρυθρὰν θάλασσαν. Idem nomen huic Mari tribuitur apud Herodotum, Ariſtotelem, alióſque veteres Scriptores. Dionyſius in Periegeſi Ἐρυθραίην θάλασσαν, & πόντον Ἐρυθραῖον dixit. Quanquam verò nonnulli Græcorum (ut ex Eratoſthene & aliis refert Strabo) à colore dictum Mare Rubrum putabant, alii tamen non pauci ab Erythro ſive Erythra Rege ſic vocatum tradiderunt. Suidas: Ἐρυθρὰ θάλασσα ὀνομάζεται, οὐκ ἀπὸ τῆς χροιᾶς τοῦ ὕδατος, καθάπερ τινὲς οἴονται ἀλλ' ἀπὸ τινὸς ἀνδρὸς, Ἐρυθρᾶ τῷ ὀνόματι, ἐνδυναστεύσαντος τοῖς τόποις. .i. *Mare Rubrum, non ex colore undæ appellatum eſt, ut opinantur aliqui; ſed à viro quodam Erythra dicto, qui in locis illis principatum tenuit.* Pomponius Mela, lib. 3. cap. 7. *Rubrum Mare Græci, ſive quia ejus coloris eſt, ſive quia ibi Erythras regnavit,* Ἐρυθρὰν θάλασσαν *appellant.* Quintus Curtius libro decimo, Rubrum Mare non à colore undarum,

rum, sed ab Erythro rege appellari, dicit. Idem historicus, libro octavo: *Mare, quo India alluitur, nè colore quidem abhorret à cæteris. Ab Erythro rege inditum est nomen: propter quod ignari rubere aquas credunt.* De Sinu Persico loquitur. Uterque enim Sinus, tum Arabicus, tum Persicus, Rubri sive Erythræi Maris nomine censebatur & comprehendebatur. Ab Heroë Erythro denominatum fuisse, ἀπὸ Ἐρύθρου τοῦ ἥρωος, notat etiam Stephanus, Ethnicôn scriptor. Denique Plinius, libro sexto: *Mare, quod Rubrum dixêre nostri, Græci Erythræum, à rege Erythra.*

De homine igitur ipso satis inter omnes convenit, Erythram, aut Erythrum, illum fuisse appellatum: eúmque Mari Rubro nomen dedisse, doctissimi quique tum veterum tum recentiorum, confirmant: verùm de gente unde ortus sit, inter Scriptores non convenit. Sunt enim, qui hunc Erythrum Persei & Andromedæ filium fuisse volunt, ut docet Solinus cap. 36. Alii Deriadem Indorum regem, qui adversus Dionysum Semeles filium pugnavit, Erythræum gentili epitheto cognominatum fuisse opinantur. Erythræ monumentum ostendi in Tyrina insula Sinûs Persici, retulerunt Indicæ Historiæ scriptores, ut testatur Strabo lib. 16. *Nearchus & Orthagoras perhibent,* inquit, *Tyrinam insulam in alto mari versus Austrum jacere, duobus millibus stadiorum à Carmania distantem, in qua Erythræ sepulchrum ostenditur, ingens sanè tumulus, & sylvestribus palmis consitus: atque hunc in iis locis regnâsse, & de se Mari nomen reliquisse,* ἀπ' αὐτὸς τὴν θάλατταν ἐπώνυμον καταλιπεῖν. Dionysius in Periegesi Ogyrin nominat illam Rubri Maris insulam, in qua Erythræi regis fuerit sepulchrum: Ὤγυρις, ἔνθά τε τύμβος Ἐρυθραίου βασιλῆος. Eustathius ad illa Dionysii Periegetæ verba, observat, regem istum aliis Erythran proprio nomine fuisse appellatum: idque ex veteris Poëtæ versibus, quos ibidem citat, fit manifestum:

Ἀγχιβαθὴς δ' ἄρα νῆσος ἁλὸς κατὰ βένθος Ἐρυθρῆς,
Ὤγυρις· ἔνθα ἦ τύμβος ἁλὸς μεδέοντος Ἐρύθρου
Κέκλιται.——

Addit Eustathius: Οἱ δὲ χρῆσθαι ἐπίθετον ἐθνικὸν, Ἐρυθραῖον βασιλέα τὸν Δηριάδην νοοῦσιν, ἀντὶ τοῦ ταφῆναι θέσθαι. id est, *Quidam Deriadem regem Erythræum gentili epitheto dici putant, qui ibi sepultus sit.*

Ego autem non dubito, quin vera sit illorum sententia, qui regem Erythran arbitrantur non alium quàm Esauum Jacobi patri-

archæ fratrem intelligi debere, quippe qui alio nomine *Edom*, hoc eſt, *Erythrus*, vel *Ruber*, dictus ſit: de cujus gloria & potentia, ad Annum Mundi 2287. diximus. Joſephus Scaliger Caſtigationibus in Feſtum, hoc etymon trâdidit: Cùm Græci ſcirent, Edom ἐρυθρὸν Græcè reddi, ab eo τὴν θάλασσαν Ἐρυθραίαν appellârunt Sinum Arabicum. Hanc veram cauſam fuiſſe, cur Mare Erythræum ſive Rubrum ità ſit appellatum, acriter contendit Nicolaus Fullerus Miſcellaneorum libro quarto, cap. 20. *Veritati conſentaneum arbitramur*, inquit, *nomen Mari Erythræo primò & proximè à regione quam alluit, more ubique gentium vulgatiſſimo factum fuiſſe: regionem autem, à principe quodam viro planéque heroico, qui eam poſſederit, & cum imperio obtinuerit, ibi aſſiduè victitârit, tandémque ſepultus ſit, appellationis originem duxiſſe.* Paulo pòſt, *Illud Antiquis haud invitus concedo*, inquit, *Erythram ſive Erythrum, verum ſanè Herôis illius nomen fuiſſe; nativum tamen ac germanum, pernego.* Et mox: *Erythras ſive Erythrus planiſſimè is eſt, quem nomine quidem ſacræ literæ Eſauum appellant, cognomine autem Edomum, Iſaaci filium grandiorem, Jacobi verò fratrem.* Deinde addit: *Celeberrimum illud Erythræi ſive Rubri Maris nomen, tum demum cœptum eſt uſurpari, poſtquam Solomon claſſe in Mari Edom paratâ negotiationem Arabicam, Indicam, & fortaſſe Æthiopicam, inſtituiſſet.*

Ajar 15. Maii 16.

ISraëlitæ veniunt in Deſertum Sin. Sic enim legimus Numerorum cap. 33. 11. Profecti à Mari Rubro, caſtrametati ſunt in Deſerto Sin. Scripſerat autem Moſes Exod. 16. 1. eos profectos de Elim in Deſertum Sin, quod eſt inter Elim & Sinai, decimo quinto die menſis ſecundi, ex quo egreſſi fuerant è terra Ægypti. In libro enim Exodi quædam Iſraëlitarum manſiones omittuntur, quę libro Numerorum accuratè omnes enumerantur. Deſertum Sin (quod vocabulum per ס ſcribitur) à monte Sinai putatur nomen accepiſſe. Omnis certè eremus uſque ad montem Sinai, Sin vocatur, ut notat B. Hieronymus. Peculiaris tamen locus caſtrorum hoc nomine deſignatur, in quo fuit Octava hæc Hebræorum manſio. Nona manſio in Daphca fuit: Decima, in Alus. Sed & hæ manſiones (quæ in libro Exodi non habentur) in eadem eremo Sin fuiſſe intelliguntur.

In

In Deserto Sin Israëlitæ fame laborantes murmurant contra Mosem & Aaronem, Exod. 16. 2, 3. Post trigesimam diem ab exitu eorum de Ægypto, commeatus quem secum extulerant, jam defecerat. Per triginta dies azymis panibus eos victitâsse, scribit Josephus Antiq. lib. 2. cap. 5. *Cùm nihil in via invenirent propter solitudinem, maceratâ farinâ & modico calore in panis speciem solidatâ se sustentabant, quo victu per triginta dies sunt usi: Neque enim plus commeatûs Ægypto extulerant, atque eum ipsum parcè dispensabant, ad necessitatem magis, quàm ad satietatem: quapropter in memoriam ejus inopiæ, festa per octo dies celebramus, quæ vocamus Azymorum.* Hæc Josephus. Cui si fidem habemus, credibile fit, Israëlitas comedisse azymos panes usque ad id temporis, quo, deficiente prorsus farinâ Ægyptiacâ, datum est eis Manna de cœlo. Namque hoc ipsum perspicuè docet ille Antiq. lib. 3. cap. 1. Τεσσαράκοντα γὰρ διανύσαντες ἡμέρας, inquit, ὅσα κατὰ ἐπιφορὰν πάντα ἦσαν ἀναλώσαντες. μαθόντι δ' αὐτοῖς ἀπορουμένοις ἀναδοθῆναι ἦσαν ὄρτυγες εἰς ἡμέραν ὅλην. id est, *Triginta dierum itinere confecto, commeatum omnem quem secum extulerant jam absumpserant: & cùm nihil alimentorum in terra deserta invenirent, minimum à desperatione aberant.* Deinde narrat, quemadmodum ad sublevandam eorum famem, Deus eis miserit primùm quidem coturnices, & paulo pòst Manna cœleste.

Quoniam verò Israëlitæ, ubi egressi sunt Ægypto, panes azymos multis diebus comederunt; idcirco Deus ad renovandam, & perpetuò conservandam ejus rei memoriam, jussit eos panibus azymis per septem dies vesci, in celebratione Paschatis: non quia tunc septem tantùm diebus, sed quia multis diebus ejusmodi panes infermentatos, cogente necessitate, comederunt. Etenim quâ primùm nocte Agnum manducârunt paschalem, paucos panes azymos fecerant, quos cum illo agno comederent. Cúmque sequenti die recessuri essent ex Ægypto, paraverant farinam mixtam cum aqua, volentes eam nocte illâ fermentare, & coquere: sed, Ægyptiis vehementer urgentibus eorum profectionem, non potuerunt massam illam, quam paraverant, ζυμὲν igitur eam, ut erat, secum tulerunt, & coacti sunt etiam deinde comedere panes ἀζύμους, præter consilium & voluntatem suam. *Quod ergò in egressu ipsorum ex Ægypto, cogente necessitate, fecerunt, id postea in celebratione Paschatis jussi à Deo sunt observare,* inquit Pererius.

Dixerant Iſraëlitæ, ſe in Ægypto ſediſſe ad ollas carnium, & panes ad ſatietatem comediſſe. Quare Deus & carnes illis dat, & panem. Nam veſpere magna vis coturnicum caſtra eorum operuit: cúmque ros nocte deſcenderet, unà cum rore deſcendebat Manna, & in ſuperficie deſerti, evaneſcente rore, cernebatur. Legimus Numer. cap. 11. populum in Kibroth-hataava concupiſſe carnes, & datas illis coturnices. Verùm illîc ſecundò datæ ſunt. Manna enim & coturnices hîc dicuntur datæ in deſerto Sin, 15. die menſis ſecundi poſt exitum de Ægypto, Exod. 16. Pervenerunt ad illum locum, qui dictus eſt Kibroth-hataava, demum poſtquam Legem in monte Sinai accepiſſent.

Ajar 16. Maii 17.

MAnna colligere incipiunt Iſraëlitæ; quod deſcribitur Exod. 16. 14, 31. & Num. 11. 7, 8. Nominis ratio ponitur Exod. 16. 15. *Cùm enim viderent minutum illud rotundum in ſuperficie Deſerti, dixerunt quiſque ad proximum ſuum, Man hu: neſciebant enim quid eſſet. Tum dixit illis Moſes, Hic eſt panis, quem dedit vobis Dominus ad veſcendum.* Hebraica illa, *Man hu*, juxta interpretationem Septuaginta Seniorum, Græcè ſonant, Τί ἐστι τοῦτο; Igitur vetus Interpres Latinus reddidit, *Quid (eſt) hoc?* Hinc vocatum eſt nomen illius *Man*. Recentiores quidam aliter interpretati ſunt. Ego antiquorum Interpretum verſionem minimè deſerendam cenſeo: quæ confirmari poteſt ex illis verbis, *Neſciebant enim quid eſſet.* Cùm cernerent campum albis granulis inſtar pruinæ obtectum, ignorantes quid hoc rei eſſet, quærebant *Man hu?* Itaque vocatum eſt *Man*, & juxta Chaldaicam dialectum, *Manna*. Namque ipſa interrogatio poſtea vicem nominis habuit: ἐγένετο τοίνυν ἡ ἐρώτησις ὄνομα, inquit doctiſſimus Theodoretus, quæſt. 50. in Exodum. Vide quæ diſputat Cardinalis Toletus, ad Joan. 6. 31. Suſpicatur Druſius Hebræos idiomate Ægyptio dixiſſe *Man hu*, pro *Mah hu?* De hoc pane plura legas apud Philonem. Meminit ejus Liber Sapientiæ cap. 16. 20. Item Pſal. 78. & 105.

Manſio 11.

ISraëlitæ profecti de Alus, caſtrametati ſunt in Rephidim; ubi populo defuit aqua ad bibendum, Numer. 33. 14. Hanc manſionem,

nem, ut & aliquot superiores, in Solitudine Sin fuisse, notat B. Hieronymus. Cùm populus siti laboraret, & contra Mosem tumultuaretur, Deus eum sic alloquitur Exod. 17. *Antecede populum, & sume tecum de Senioribus Israël; & virgam, quâ percussisti fluvium, tolle in manu tua, & vade. En ego stabo ibi coram te, supra petram Horeb: percutiésque petram, & indè exibit aqua, ut bibat populus. Fecit Moses ità coram Senioribus Israël.* Ad ea verba Liranus, *Non est intelligendum*, inquit, *quòd illa petra esset in monte Horeb, qui est idem quod mons Sinai: quia adhuc distabant ab illo loco.* De monte Horeb sive Choreb, sic scribit B. Hieronymus, libro De locis Hebraicis: *Mihi videtur*, inquit, *quòd duplici nomine idem mons nunc Sinai, nunc Choreb vocetur.* Nonnulli arbitrantur, distinctos esse montes, sed radicibus inter se cohærentes, atque conjunctos: vel ejusdem montis orientalem partem esse vocatam Sinai, occidentalem verò Horeb. A monte autem verisimile est proximam regionem nomen Horeb accepisse. Ea quidem petra, unde Moses aquam eduxit, dicitur fuisse in Horeb; etsi vetus Interpres ipsam petram Horeb dictam existimavit. Ipsum vocabulum ariditatis significationem habet, à verbo *Charab.* Miraculum de aquis è petra percussa copiosè erumpentibus, plenius narrant Philo lib. 1. de Vita Mosis, & Josephus Antiq. lib. 3. cap. 1. Celebratur idem miraculum Psal. 78. 15, 16. & 104. 8. & 105. 41. Bis autem eductæ sunt aquæ è petra: primò in Rephidim; & iterum in Deserto Sin, Numer. cap. 20. Allegoriam hujus historiæ explicans B. Paulus 1. Cor. 10. 4. dicit, Israëlitas bibisse ἐκ πνευματικῆς ἀκολουθούσης πέτρας, *de spirituali petra, quæ sequebatur eos.* Christus enim, quem petra adumbrabat, eos comitabatur, varia beneficia præstando. Sed & petra materialis ipsos dicatur sequuta, eo quòd aquæ, quas petra copiosissimè fundebat, in rivos divisæ, longo spatio profluerent: unde Psalmista dixit, *torrentes inundâsse, & flumina in sicco abiisse.* Itaque Tertullianus aquam comitem dicit, propter rivum ex rupe profluentem, qui Israëlitas comitatus sit, ac si rupes ipsa eos esset sequuta. Nam si fuisset hoc unius diei beneficium, postridie fuisset iterum percutienda petra in illo arido Deserto.

Pugna contra Amalechitas.

DUm Israëlitæ erant in Rephidim, contra Amalechitas pugnare coacti sunt. Habitârunt Amalechitæ circa vias, quæ à Pe-

luſio & aliis occiduis locis ad Mare Rubrum ducunt. Hi primi hoſtes ſunt, qui Hebræos ex Ægypto liberatos invadunt. Joſuë Nunis filius, militum delectu habito, juſſu Moſis confligit cum hoſtibus. Interim ipſe Moſes in vertice collis Deum paſſis manibus orat. Iſraëlitæ, orante Moſe & attollente manus ſuas, erant ſuperiores; ſed quando manus ille demittebat, Amalechitæ prævalebant. Igitur Aaron & Hur utrinque aſſiſtentes, Moſis manus uſque ad occaſum Solis ſuſtentabant. Hoc modo Iſraëlitæ victoriâ potiti ſunt. Prælium deſcribitur Exodi cap. 17. & apud Philonem, atque Joſephum. Hur Mariæ maritus fuit, ut ex Joſepho docemur, qui eum Ὀυρην vocat, Μωσέως τὸν ἄνδρα.

Amalechitæ originem ducunt ab Amaleco, qui fuit Eliphazi filius ex Timna ſive Thamna concubina. Sic enim legimus Geneſ. cap. 36. 12. *Erat Thamna concubina Eliphaz, filii Eſau: quæ peperit ei Amalec.* Unde diſcimus, Amalechitas Eſaui quidem poſteros eſſe, ſed ex ancilla natos, ideóque non verè Idumæos fuiſſe habitos. Idumæis parci volebat Deus, nec turbari poſſeſſionem quam ipſe illis dederat in monte Seir. At Amalechitas deleri vult prorſus, & eorum memoriam aboleri. Vide Deut. 25. 17, 18, 19. De Amalechitarum perditione loquitur Balaam, Numer. 24. *Principium gentium Amalec, cujus extrema perdentur.* id eſt, Primi Amalechitæ invaſerunt filios Iſraël: igitur tandem perdentur prorſus, & peribunt. De impletione hujus vaticinii & ſententiæ à Deo latæ contra hoſce primos hoſtes populi ſui, poſt annos quadringentos, vide 1. Sam. 15. Per prolepſin nominantur Amalechitæ in libro Geneſeos cap. 14. ubi Chedorlaomer & Reges qui erant cum eo, dicuntur percuſſiſſe omnem regionem Amalechitarum, quam ſcilicet Amalechitæ poſtea tenuerint. Illa regio Gobolitis dicitur apud Joſephum Antiquitatum lib. 3. cap. 2. Incolæ autem Stephano Gomolitæ vocantur: Γομολίται, ἔθνος τῆς Ἰδυμαίας, ἢ ἀπὸ Ἀμαλήκης, Ἀμαληνίται ἐκλήθη. Ità illum locum emendandum cenſeo. Sed & Γοβολίται fortaſſis reponendum, ſi Joſephi codices mendo carent. Amalechitarum originem ex ſcriptis Moſaicis tradidit Joſephus Antiq. lib. 2. cap. 1. *Amalecus erat nothus*, inquit, *è Thamna concubina* (Eliphaz) *genitus*. Hi (poſteri ſcilicet Eſaui) habitaverunt Idumææ regionem, quæ Gobolitis, & Ἀμαληνίτης de Amaleci nomine eſt appellata.

De

De Josua Imp.

JOsua, quo tempore Amalechitas vicit, annum ætatis quinquagesimum ferè attigerat, siquidem natus fuit anno Mosis trigesimo secundo, ut suprà notatum est. Huic nomen erat Osee, sive, ut Græcis effertur, Αυσῆς. Per prolepsin igitur Josuë nominatur capite 17. Exodi: quod nomen ei postea Moses indidit; ut ex Numerorum cap. 13. colligitur, ubi recensentur nomina Exploratorum, quorum unus dicitur fuisse Osee filius Nun, de Tribu Ephraim. Ibidem hæc verba subduntur, *Et Moses vocavit Osee Nunis filium, Josuë.* Rationem, quare Moses mutaverit nomen ejus, reddit Liranus: nempe, quia Moses oraverat Deum, ut Osee cum salute reverteretur: quod & factum est: ideo vocatus est *Josuë*, id est, *Salus*. De hoc viro legas quæ scripsit Masius Præfatione Commentariorum in Josuam. Fuit ipse genere Ephraimita, ex dilectissimo Josepho prognatus: patrem ejus, qui Hebræis Nun appellatur, Græci interpretes Ναυὴ vocant. Sic enim scribi solet hoc nomen, vetusto errore, pro Ναῦν, vel Ναῆ, ut notat Fullerus Misc. lib. 3. cap. 2. Vide 1. Paral. 7. 27. Fuisse autem inter suos tribules virum primarium, constat. Neque enim ad terram Promissionis explorandam, nisi qui in quaque tribu principes erant, ablegabantur. Cooptaverat eum Moses in suam familiam, ut credibile est, postquam Rubi ostento monitus, in Ægyptum à Madianitis revertisset: quo tempore, quadragenario minor ille esse non potuit. Sed profectò non sine cœlesti instinctu Moses illum cooptavit: nimirum, ut qui Dei populum esset aliquando recturus, ipse priùs ab omnium mortalium eâ ætate optimo sanctissimóque Imperatore regeretur. Qui enim bene imperaturus est, ut bene aliquando paruerit est necesse. Quapropter etsi Moses complures alios haberet ministros, qui Num. 11. 28. *Bechurau* vocantur, quasi electos illius pueros dicas; hunc tamen unum in rebus arcanis comitem adhibuisse, & conscium, memoratur. Neque aliam ob causam Moses adversus eos, qui primi occurrebant, hostes Amalechitas, Josuam Imperatorem dixit, nisi ut Dei consilium, de futuro felicissimo hujus imperio, jam tum quadantenus populo patefaceret. Postea, cùm hunc Hoseam filium Nun in medium produxisset, eum cœlesti suo instinctu Josuam, hoc est, Jesum vocari jussit, ut ille postremæ politiæ antistitem & admini-

administrum, Jesum Christum, non solùm factis adumbraret, sed ipso etiam nomine clarè referret. Hujus viri elogium Philo Judæus verbis elegantissimis contexuit, libro Περὶ φιλανθρωπίας, in hanc ferè sententiam: *Erat Mosi amicus & familiaris penè à puero, Jesus nomine, non vulgaribus conciliatus artibus, sed amore integro cælestique, ex quo omnes virtutes proveniunt. Is etiam convictor & contubernalis* (ὁμοτέχνος καὶ ὁμοδίαιτος) *Mosi fuit, nisi si quando ille secessum quæsivit propter divina colloquia: idem administrationis Reipublicæ particeps, & tantùm non Principis vicarius* (μονονὸχ ὕπαρχος ὤν) *multa pro potestate solitus erat gerere.* Hæc ille. Quamvis autem Josua Mosis minister aliquoties dicatur, tamen observandum, quod & monuit Masius, eum non vocari Servum Mosis, sed Ministrum, sive (ut Græci interpretes reddunt) ὑπηρέτην, διάκονον, παρεστῶτα. Neque enim vir inter suos tribules primarius servitutem Mosi servierat, sed eum officiosè comitatus, observaverat.

De Socero Mosis.

MOses, ubi aggressus est negotium liberationis Hebræorum ex Ægypto, remiserat uxorem & filios ad socerum suum, quò expeditior scilicet foret ad munus suum ritè obeundum, Exod. 18. 2. Assumpserat quidem secum uxorem & filios, cùm iter in Ægyptum instituisset, Exod. 4. 20. Sed paulo pòst ex itinere eos remiserat, vel quòd irata Sephora propter circumcisionem filii ad patrem suum reversa sit cum filiis; vel quòd Moses Aaronis consilio, qui illi occurrit ad Montem Dei, aut etiam suâ sponte illos remiserit. Circa hoc autem tempus, videlicet dum Moses mansit prope montem Sinai cum populo Hebræo, venit Jethro in castra Israëlitarum, secum ducens uxorem Mosis & duos filios, Gersom & Eliezer, quos ille ante annos non multos è Sephora Jethronis filia susceperat, Exod. 18. 5.

Jethro (qui & Raguel alio nomine appellatur Exod. 2.) sacerdos fuit Madianitarum, &, ut aliqui volunt, princeps ejus gentis. Videtur autem priùs fuisse cultor idolorum: sed postea cùm venisset ad Mosem in eremum, auditis prodigiis in Ægypto factis pro liberatione Hebræorum, ad veri Dei cognitionem & cultum conversus est. Vide Exodi cap. 18. 10, 11, 12. Jethronem fuisse virum prudentem, indicat illud consilium, quod dedit Mosi, cùm animadver-

animadverteret eum onus majus sibi imposuisse, quàm ferre posset. Moses igitur, qui hactenus solus judicârat populum circumstantem à mane usque ad vesperam, ex consilio soceri alios Judices sibi adjunxit, qui populi causas cognoscerent, ità tamen ut res arduas sibi ipsi judicandas reservaret. Non mansit Jethro cum Israëlitis, sed ad terram suam rediit. Fide tamen populo Dei junctus, filium suum Hobab comitem illis reliquit, ut legimus Num. 10. 31, 32. Malè nonnullis Hobab putatur esse Jethro: quam opinionem refellit Pererius. Est enim Hobab Sephoræ frater, Raguelis filius. Raguel est Sephoræ pater, alio nomine Jethro dictus, etsi quidam Raguelem Sephoræ avum fuisse existimârunt. Drusius Jethronem & Hobabum arbitratur esse duos distinctos filios Raguelis, & Sephoræ fratres. Fuit autem hic socer Mosis (qui Raguel & Jethro vocatur) ex gente Cinæorum: unde & Cinæus sive Kenæus gentili nomine dicitur Judic. 1. 16. Ipse etiam Hobab Sephoræ frater, cujus posteri inter Israëlitas habitârunt, Cinæus appellatur Judic. 4. 11. Cinæos nominat Moses Geneseos cap. 15. ubi enumerat eas Gentes, quæ olim obtinuerunt Terram, quam promisit Deus semini Abrahæ. Balaam partem suæ Parabolæ direxit in Cinæos. Tempore autem Saulis habitabant Cinæi inter Amalechitas, 1. Sam. 15. 6. Quamvis Hobab non sit socer Mosis, ipse tamen *Hoten Mosè* bis appellatur, Num. 10. 29. & Judic. 4. 11. Nam vox Hebraica & socerum & affinem seu cognatum significat. Igitur Jethro est *Hoten Mosè*, id est, πενθερὸς sive *socer*: & Hobab vocatur *Hoten Mosè*, hoc est, γαμβρὸς, seu *affinis*. Solet enim Scriptura vocare patrem puellæ & fratrem ejus eodem nomine *Hoten*, ut testatur Aben Ezra, citante Drusio.

Sivan 3. Junii 2.

DUodecima mansio Israëlitarum fuit in Deserto Sinai. Nam mense tertio egressionis eorum de terra Ægypti, recesserunt ex Rephidim & eo die venerunt in Solitudinem Sinai, ibíque castrametati sunt in ipso Deserto, & fixerunt tentoria è regione Montis, ut legimus Exod. 19. Sinai sive Σινᾶ, Montis & Deserti nomen est. Appellatio à rubo, qui *Sine* dicitur Hebræis. Magna enim ibi copia ruborum, propter ariditatem loci; quæ nomen dedit τῷ Horeb, ut & suprà notavimus. *Ad hunc locum quadragesimâ septimâ die*

(post Exitum) *perveniunt*, inquit B. Hieronymus. Populus paratus esse jubetur in diem tertium, ut Dominum loquentem audiat, Exod. 19. 11.

LEGIS PROMULGATIO.

Sivan 6. Junii 5.

TErtiâ die pòst quàm ad Montem Sinai venerunt, Deus, vidente universo populo, super Montem Sinai descendit; Legem suam decem præceptis comprehensam intonat, Exod. 26. Id factum die πεντηκοστῇ post Exitum de Ægypto, ut notavit B. Hieronymus, epistolâ ad Fabiolam: *Supputemus numerum*, inquit, *& inveniemus, quinquagesimo die egressionis Israël ex Ægypto, in vertice Montis Sinai Legem datam: unde & Pentecostes celebratur solennitas.* Sanctus Leo, Sermone primo De Pentecoste: *Hebræo quondam populo ab Ægyptiis liberato, quinquagesimo die post immolationem Agni, Lex data est in Monte Sina.*

Die sequenti, Moses aliquot leges accipit, quæ essent Decalogi velut explanationes & appendices, tùm Judiciales, tùm Ceremoniales; eásque scripto consignat, Exod. 24. 3, 4.

Sivan 8. Junii 7.

MOses extructo altari sacrificat holocausta & pacifica, hoc est, tam expiatoria quàm eucharistica sacrificia: librum Legis, quem scripserat, circumstanti & audienti populo legit: Dei jussu accedit ad radices Montis, cum Senioribus. Reliquis infrà manere jussis, ipse Moses conscendit usque ad eam montis partem, quam Nubes obtegebat. Josua, qui unà cum Mose in montem ascendit, non ingressus est Nubem, sed alio & inferiore loco Mosem expectavit. Sex dies in nebulosa montis parte moratus Moses jubetur altiùs ad igneum fastigium sive cacumen montis adscendere. Postquam sex dies in Nube expectâsset, evocatus in igneo fastigio constitit dies 34. Itaque fuit Moses in monte quadraginta dies & noctes quadraginta, Exod. 24.

Vitulus aureus.

CUm Moses diutiùs in monte moraretur, Israëlitæ tumultuantur; petunt ab Aarone, ut sibi Deos faciat, qui præcedant ipsos;

ipsos; & rationem addunt: *Huic enim Mosi viro illi, qui eduxit nos ex Ægypto, nescimus quid acciderit.* Tradunt Hebræi, Hur obsistentem huic petitioni à populo occisum fuisse; Aaronem verò, furiosæ & tumultuantis plebis imperio quodammodo coactum, ut populo auscultaret. Quæritur, cur Aaron Vitulum aureum fecerit, cùm Israëlitæ sibi Deos fieri petierint? Plerique sentiunt, hoc fieri pravâ imitatione Ægyptiorum, qui Apin bovem & Isidem vaccam coluerunt. Videtur enim superstitio hæc inter eos viguisse ante egressionem Hebræorum ex Ægypto. Vitulum conflatilem Aaron populo ostentat, quasi præsentis Numinis signum aspectabile, & in posterum diem Encænia Vituli indicit, Exod. 32. Hanc idololatriam inter alia populi peccata memorat Psalmista, Psal. 105. *Fecerunt vitulum in Horeb, & adoraverunt sculptile.* Lactantii verba hac de re apponam, lib. 4. cap. 10. *Pro his divinis beneficiis honorem Deo non reddiderunt: sed depulsâ jam servitute, jam siti, famèque depositâ, in luxuriam prolapsi, ad prophanos Ægyptiorum ritus animos transtulerunt. Cùm enim Moyses dux eorum ascendisset in montem, atq; ibi quadraginta diebus moraretur, aureum caput Bovis, quem vocant Apin, quod eos signo praecederet, figurârunt.* Hæc ille. Bovis Caput dixit, ut Tertullianus Bubulum Caput, & alii Patres Caput Vituli nominant, pro integro bove: non enim caput solummodo vel πρωτομοῦ βοὸς effinxerant. (Similiter κεφαλὴ, & Caput de toto Homine dicitur.) Apis Memphiticus Herodoto & Gregorio Nazianzeno μόσχος appellatur: qui Bos fuit, non vitulus. Sacrum illum Bovem & Memphitæ nutriebant, & Heliopolitæ: sed hi Mnevin vocabant; ut docet Strabo, libro 17. Ὁ Ἆπις ἐν Μέμφει, ἐν ἡλίῳ δὲ πόλει ὁ Μνεῦις. id est, *Apis quidem in Memphi (nutritur) Heliopoli autem Mnevis.* Et paulo pòst: Ἔστιν ἡ τῆ ἡλίᾳ πόλις ὀπὶ χώματος ἀξιολόγε κειμένη, τὸ ἱερὸν ἔχουσα τῆ ἡλίᾳ, καὶ τὸν βοῦν τὸν Μνεῦιν ἐν σηκῷ τινὶ τρεφόμενον, ὃς παρ' αὐτοῖς νενόμισται θεὸς, ὥσπερ καὶ ἐν Μέμφει ὁ Ἆπις. hoc est, *Solis urbs aggeri magno imposita est; quæ Solis templum habet, & Mnevin bovem, qui in septo quodam nutritur, & ab iis pro Deo habetur, quemadmodum & Apis à Memphitis.* Utrumque horum Osiridi sacrum fuisse ait Diodorus lib. 1. Τὰς ταύρες τὰς ἱερὰς, τόν τε ὀνομαζόμενον Ἆπιν, καὶ τὸν Μνεῦιν Ὀσίριδι καθιερῶθαι, καὶ τούτους σέβεσθαι καθάπερ θεὸς κοινῇ κατεσεγμένους (φασὶ) πᾶσιν Αἰγυπτίοις. .i. *Apud universos promiscuè Ægyptios sancitum est, ut Tauri sacri, tum qui Apis, tum qui Mnevis vocatur, Osiridi dicati sint, & pro diis colantur.*

Ad horum Deorum similitudinem Aaron populo fecit Aureum Bovis simulacrum, quod Egel & Sor in Sacra Scriptura dicitur. *Egel, vitulus* est: *Sor* autem, *bos, taurus*. Psaltes, ubi idolomaniam illorum perstringit, qui ad Montem Dei ἐμοσχοποίησαν, vocabulum *Sor* usurpat: unde paraphrastes Apollinarius κεφαλκία μόσχον dixit.

Tamuz 17. Julii 16.

MOses post quadraginta dierum absentiam, de monte descendit; erántque duæ tabulæ Legis in manu ejus. Dederat enim Deus Mosi, finito colloquio, duas Tabulas lapideas, in quibus Decalogus sive Decem Præcepta scripta erant digito Dei. Ubi autem castris propinquavit Legislator, videt populum Aurei Vituli Encænia celebrantem, &, ut veteri verbo dicam, vitulantem. Hinc ille justo zelo correptus, tabulas è manibus suis abjicit, eásque confringit: mox Vitulum, quem fecerant, in ignem mittit, conterit in pulveres, & in profluentem conjicit, filiísque Israël aquas hoc pulvere conspersas propinat bibendas. Quin & Levitas gladiis accinctos jubet transcurrere, & obvios quosque trucidare. Occisa sunt hominum circiter tria millia, Exod. 32. Has ob causas jejunium postea institutum est, quod hodiéque Judæi observant Tamuz 17.

Postridie Moses iterum montem conscendit, Deum pro populo deprecaturus, Exod. 32. 30. Quidam volunt, Mosem, tunc quoque, sicut priùs, quadraginta diebus in monte commoratum: ídque colligunt ex Deut. 9. 18, 25. Verùm nulla ibi Montis fit mentio. Igitur quamvis secundò in Montem ascenderit antequam jussus est novas tabulas parare; non tamen videtur quadraginta diebus tunc in Monte mansisse. Postquam enim Deum vehementer orando placâsset Exod. 32. 32. de monte reversus, è castris transtulit Tabernaculum Conventionis, ubi seorsum orare, & cum Deo colloqui posset, Exod. 33. 7. Ibi igitur per quadraginta dies, quorum fit mentio in Deut. 9. 18, 25. Deum precatus est Moses in illo Tabernaculo, quod extenderat sibi extra castra, ut notat Drusius. Tabernaculum autem, quod Moses extra castra tum locavit, non est illud Bezaleelis opus artificiosum, quod Deus fieri jusserat Exodi cap. 31. Illud enim hoc tempore nondum fuit extructum. Neque etiam privatum fuit hoc tentorium Mosis. Ipse enim ad colloquium

quium Dei egrediebatur castris, & in hoc Tabernaculum ingrediebatur, ad cujus ostium Columna Nubis stetisse dicitur. Fuit igitur jam Deo consecratum hoc Tabernaculum, ibique Moses divina Oracula accipere, & jus populo dicere solitus est. Extra castra autem hoc tabernaculum Conventûs Dei jussu tendebatur postquam populus Vitulum fecerat; ut hoc signo Israëlitæ admonerentur, Deum ab ipsis abalienatum esse. Nè tamen prorsus animo concidierent, Domini tabernaculum non in universum ab eis auferretur, sed extra castra tenditur, ut, quicunque Deum requirebant, illùc exire cogerentur. In hoc tabernaculo Dominus locutus ad Mosem dicitur facie ad faciem, Exod. 33. 11. Ibique mandatum accepit Moses de novis Tabulis parandis, Cap. 34. 1.

Moses, postquam duas tabulas lapideas prioribus similes dolâsset, & Arcam ligneam cum toto Tabernaculi instrumento confici jussisset secundum typum quem in Monte viderat, die 29 mensis Ab (Augusti 26) tertiò in montem conscendit Tabulas in manibus habens; quibus Deus Decalogum inscripsit juxta id quod priùs scripserat. Mansitque Moses in monte (sicut priùs) quadraginta diebus. Redit ad populum die nono mensis Tisri; tabulas Arcæ inserit; jejunium in posterum diem indicit: Quod nunc quoque Judæi observant Tisri decimo, Octobris quinto. Posteriore parte hujus anni Bezaleel cæteríque Artifices TABERNACULUM cum toto ejus Instrumento (quemadmodum narrat Moses Exodi 35. & sequentibus Capitibus usque ad finem Capitis 39) perficiunt.

A. M. 2508. *ante Christum* 1495.

MOSIS 81.

AMphictyon Deucalionis filius, Hellenis frater, pulso Cranao, Athenis regnat annos decem. Euseb. Apollodorus Amphictyoni annos duodecim tribuit, & expulsum ab eo Cranaum memorat. Cranai generum fuisse ipsum Amphictyonem, discas ex Pausania. Sic enim ille, Atticis: Κρανεῖ δὲ Ἀμφικτύων ἐπανασὰς, συγατέρα ἔμμος ἔχων αὐτῦ, πάνυ τῆς ἀρχῆς. id est, *Cranaum Amphictyon regno expulit, nihil affinitatem veritus; siquidem ejus filiam in matrimonio habebat.* Ibidem addit Pausanias, Cranaum Athenienssium regem ab Amphictyone genero Athenis pulsum confugisse cum suis copiis ad Lamprenses, ibíque diem suum obiisse.

Ab hoc Amphictyone Synedrium Amphictyonum in Græcia constitutum nonnulli existimârunt. Pausanias, Phocicis: Κατασκευάσαι δὲ συνέδριον ἐνταῦθα Ἑλλήνων, οἱ μὲν Ἀμφικτύονα τὸν Δευκαλίωνος νομίζουσιν, &c. *Conventum* (inquit) *hîc Græcis constitutum ab Amphictyone Deucalionis filio quidam existimant; & ab eo Consessum illum Amphictyonas appellatos.* Idem auctor nominat hos Græciæ populos ab ipso Amphictyone, ut aliqui tradunt, in commune Συνέδριον vocatos, Ionas, Delopas, Thessalos, Ænianas, Magnetas, Maleenses, Phthiotas, Dorienses, Phocenses, & Locros. Tantam verò hujus Synedrii fuisse antiquitatem, mihi non fit verisimile: neque ab Amphictyone Senatores illos denominatos existimo. Illis potiùs assentior, qui volunt Amphictyonas vel potiùs Amphictionas dictos esse τὺς ἀφικτίονας sive ἀφικόικυς Δελφῶν, qui scilicet circum Delphos habitant, & è circumvicinis gentibus in Delphicum concilium conveniunt. Ità interpretatur Hesychius: Ἀμφικτίονες, ἀφίοικοι Δελφῶν συναγόμενοι ὑπὸ Πυλαίαν. Quam interpretationem hausit ex Anaximene historico, qui ἐν πρώτῃ Ἑλληνικῶν scripsit, Amphictyonas appellatos esse ἀπὸ τῦ ἀφικόικυς εἶναι τὴν Δελφῶν τὺς συναχθέντας, ut docet Harpocration. Hanc nominis rationem confirmo ex Scholiaste Thucydidis pag. 117. Πελασκτίονες εἰσὶ, καὶ ἀμφικτίονες, οἱ ἀφικνῦντες. Androtion Amphictyonas, priùs Aphictyonas dictos tradit, ἀπὸ τῦ ἀφικέσθαι, qui scilicet convenire solerent in Consessum Delphicum.

Dionysum ab Amphictyone rege Athenienssium convivio acceptum fuisse, refert Pausanias in Atticis. Eusebius ad hunc annum notat, Dionysum in Atticam venisse, & Semachi filias sub traditione Caprinæ Pellis docuisse mysteria. Stephanus: Σημαχίδαι, δῆμος Ἀττικὸς, ἀπὸ Σημάχε· ἧ καὶ ταῖς θυγατράσιν ἐπιξενώθη Διόνυσος· ἀφ' ὧν αἱ ἱέρειαι αὐτῦ. Ait, Bacchum à Semachi filiabus fuisse hospitio exceptum; & ab iis Bacchi Sacerdotes originem ducere. Illam capreæ Pellem Græci νεβρίδα vocant; unde νεβρίζειν, verbum mystarum.

A. M. 2509. *ante Christum* 1494.

MOSIS 82.

TAbernaculum Sacrum, quod Deus fieri præceperat, erigitur primo die primi Mensis, hoc est, Martii vicesimo secundo, ut narrat Moses ultimo capite Exodi. Eo mense gesta sunt, quæ in tertio libro Mosaico, qui Leviticus inscribitur, continentur. Ejusdem

dem menſis die decimâ quartâ celebratur Paſcha in Deſerto Sinai, Num. 9. 5. Menſis ſecundi neomeniâ ſive die primo, hoc eſt, Aprilis viceſimo ſecundo, numerantur Iſraëlitæ in Deſerto quod adjacet monti Sinai, & tributim recenſentur, ut legimus initio Libri Numerorum. Die viceſimo ejuſdem menſis ſecundi, hoc eſt, Maii undecimo, Nubes, quæ incubabat Tabernaculo Sacro, elevata eſt: & Iſraëlitæ Nubis ductum ſequentes, è Deſerto Sinai profecti ſunt in Deſertum Paran, Numer. 10. 11, 12. De hac Nube, quæ populo Iſraëlitico ducem ſe præbuit, ſuprà dictum eſt. Legantur verba Moſis Exod. 40. 36, 37, 38. & Numer. 9. 15, 16, 17, & ſeq.

Manſiones Iſraëlitarum in ſolitudine Paran.

IN ſolitudine Paran multæ manſiones factæ ſunt. Profecti enim Iſraëlitæ de ſolitudine Sinai, primò caſtrametati ſunt in loco, qui dictus eſt *Kibroth Hattaava*, id eſt, *Sepulchra concupiſcentiæ*. Ibi populus cœleſtem panem faſtidiens, Ægyptiorum carnes deſiderat. Murmuratores ſubitum vorat incendium: & intercedente Moſe, vorax flamma extinguitur. Ibidem Septuaginta Seniores eliguntur, & illis Deus impertit aliquid de ſpiritu Moſis, ut partem oneris cum ipſo ſuſtinerent. Coturnices ſecundò datas Iſraëlitæ non ad ſatietatem modò, ſed uſque ad nauſeam ac vomitum devorant. Saturatóque populo, dum adhuc eſcæ erant in dentibus comedentium, ira Dei excitata eſt adverſus eos, & morbo aliquo, ut credibile eſt, ex nimia aviditate & ſaturitate exorto, permulti eorum ibi mortui, & ſepulti ſunt: unde loco illi nomen impoſitum, ut legimus Num. 11. Vide & Pſal. 78.

Deinde Iſraëlitæ profecti de Sepulchris concupiſcentiæ, caſtrametantur in Hazeroth, Num. 11. 35. & cap. 33. 17. Ibi Aaron & Miriam locuti ſunt contra Moſem propter Æthiopiſſam, quam ille uxorem duxerat. Propterea Miriam leprâ percutitur: cùm verò Aaron veniam culpæ deprecaretur, ipſa Miriam poſt ſeptem dies, orante Moſe, ſanatur, Num. 12.

Ethiopiſſam vocabant Moſis uxorem, contemptûs & contumeliæ cauſâ. Nam Sephoræ pater, antiſtes Madianitarum fuit: Madianitæ autem incolebant partem terræ Chus ſive Æthiopiæ Orientalis. Duplex ſanè fuit Æthiopia; altera quidem Orientalis, & Occidentalis altera: Quam diſtinctionem ab Homero traditam, & Herodoto probatam,

probatam, Strabo & Plinius amplexi sunt. Occidentalis Æthiopia longè distat ab Ægypto, & ad Torridam zonam pertinet: Orientalis verò, propinqua Ægypto & Palæstinæ fuit; ea nimirum Regib, quam Chus & ejus posteri insederunt. Quare Bibliorum Interpretes hoc nomen *Chus*, Ἀιθιοπίαν, & *Chusim* Ἀιθίοπας ferè vertunt. Hanc autem regionem postea variæ Gentes coluêre, Ismaëlitæ, Madianitæ, Amalechitæ, & aliæ, quæ generali vocabulo Arabes vocantur, ob mixturam. Nam Hebræis עֵרֶב EREB significat Turbam miscellaneam, sive Mixturam variorum populorum: quo nomine Propheta Jeremias cap. 25. 20, 24. Arabas vagos & mixtos intelligit, qui & Scenitæ Straboni vocantur. Arabia ergò (cujus partes australiores Æthiopiæ Orientalis nomine intelliguntur) Hebraicè עֲרָב appellatur, à mixtis populis ibi olim habitantibus: vel, quòd quasi Solitudo & Deserta regio esset, ut notat Buxtorfius. *Araba* enim in sacris literis Campestrem locum & Solitudinem denotat. Gentile nomen legitur Jeremiæ cap. 3. com. 2. *Juxta vias sedisti, sicut Arabs in solitudine.* Ibi Latinus Interpres reddidit, *quasi latro in solitudine.* Solebant Arabes sedere juxta vias, & expectare prætereuntes mercatores, ut illis venderent, vel ab illis emerent. Vox Hebræa עֲרָבִי *Arabi*, Arabem significat, non Latronem: propriè, inquam, ità non significat, nisi quia tales erant Arabes, gens latrociniis infamis, ut observat Drusius. Sic igitur Arabs latronem denotat, ut Cananæus mercatorem, & Chaldæus mathematicum.

Exploratorum missio.

PRofecti de Hazeroth Israëlitæ castrametati sunt in Rithma, Num. 33. 18. Iste locus fuit in solitudine Paran, Num. 12. 16. & quidem prope Cades-barneam. Videntur enim decimâ quintâ mansione Israëlitæ ad Cades-barneam consedisse, ut notat Masius. E Cades-barnea Caleb Jephonæ filius quadragenarius, & Josuë Nunis filius, aliíque decem viri primarii mittuntur speculatum Cananæam, idque circa tempus vindemiæ. Exploratores quinto mense (qui Ab dicitur) emissos fuisse, volunt Judæi, teste B. Hieronymo in Zachariæ caput octavum. Neomenia ejus Mensis, in Julii 19 putatur incidisse. Historia de missione Speculatorum è Cades-barnea legi potest Numer. cap. 13. Deut. 1. 20. & Jos. 14. 6.

Post

Poſt quadraginta dies revertuntur duodecim exploratores ad Moſem in Deſertum Paran, in Cades. Caleb & Joſua victoriæ fiduciâ populum excitare conantur: reliqui verò decem exploratores terram quidem bonam eſſe fatebantur; ſed gentes, quæ illam incolebant, fortes admodum eſſe, urbeſque munitas & magnas, narrabant: inſuper ſe ibi gigantes, filios Anac, vidiſſe retulerunt: denique dehortati ſunt populum, nè temere tentaret validiſſimos hoſtes, quibus longè impar erat futurus. Hinc metu fracti Iſraëlitæ, de terra, quam Deus eis promiſerat, potiunda deſperant, miſeram conditionem ſuam deplorant, & adverſus Moſem murmurant, dicentes, *Utinam mortui eſſemus in Ægypto.* Quinetiam dixerunt alter ad alterum, *Conſtituamus ducem, & revertamur in Ægyptum.* Hac incredulitate eorum commotus Deus denunciat futurum, ut in Deſerto maneant annos quadraginta, Num. 14. Igitur quadrageſimo demum pòſt anno Jordanem trajecerunt, ut infrà notamus ad Annum Mundi 2548.

Si Deo credidiſſent & obſequuti eſſent Iſraëlitæ, nullâ morâ interpoſitâ potiti fuiſſent terrâ hoſtium: jam enim ad terræ promiſſæ fines pervenerant; ſiquidem Cades-barnea extimam terræ ſanctæ oram claudebat à Meridie. Ob infidelitatem verò arcentur illâ requie, quam Deus promiſerat; audiúntque illud triſte verbum, *Cras movete caſtra, & revertimini in ſolitudinem per viam Maris Rubri,* Num. 14. 25. Itaque retro curſum flectere jubentur, cùm jam terræ promiſſæ fines attigiſſent. Poſtridie autem ſurrexerunt manè, & armis bellicis accincti, invito & reclamante Moſe, aſcenderunt in montem Amorræorum, ut hac ſcilicet alacritate ſuperiorem moram & ignaviam compenſarent. Sed, clade acceptâ, temeritatis pœnas luunt, Num. 14. 40.

De 18 Manſionibus in eremo Paran.

RElíquas Iſraëlitarum Manſiones, à Rithma uſque ad Eſiongaber, id eſt, uſque ad triceſimam ſecundam manſionem, ſub Paran ſolitudinis nomine contineri, obſervat B. Hieronymus. Decimâ quintâ manſione in Rithma ad Cades-barneam conſederunt: qui locus Num. 13. 26. Cades vocatur. Poſt annos octo & triginta iterum ad Cades poſita ſunt triceſima tertia caſtra, in Deſerto Zin, Num. 33. 36. Itaque videntur ad eundem locum regreſſi,

poſtquam totis illis octodecim manſionibus per inviam ſolitudinem incertis & perplexis gyris circumducti fuiſſent, ut notat Andreas Maſius. Cùm enim progreſſi ad terræ promiſſæ limitem, repudiâſſent Dei beneficium, & ad reditum ſe mutuò hortati eſſent; ſicuti navis tempeſtate repulſa à portu, variis procellis circumvolvitur, ità hi quoque ab acceſſu bonæ illius terræ retracti, per obliquos circuitus diu in Deſerto Paran errârunt. Res quidem per illud tempus in Eremo geſtas, certis annis aſſignare non poſſumus: Inter alia autem, quæ illo temporis ſpatio acciderunt, maximè memorabilis eſt ſeditio, quam Core, Dathan, & Abiram, ſociíque ipſorum numero 250 excitârunt contra Moſem & fratrem propter Sacerdotium; quod ſcilicet Aaroni ademptum in Corem transferre cupiebant ii, qui factionem ejus ſequebantur, Num. 16.

A. M. 2513. ante Chriſtum 1490.
MOSIS 86.

EPaphus Ionis ſecundæ filius Memphin in Ægypto condit. Euſeb. Epaphum multarum urbium in Ægypto conditorem canit Pindarus Nem. 10. Memphin ab eo conditam ſcribit Apollodorus Bibliothecæ libro ſecundo: Ἔπαφος ὁ βασιλεὺς Αἰγύπτου, γαμεῖ Μέμφιν τὴν Νείλου θυγατέρα, καὶ ἀπὸ ταύτης κτίζει Μέμφιν πόλιν. id eſt, *Epaphus Ægyptiis imperans, Memphin Nili filiam ſibi conjugavit; déque uxoris nomine, conditam urbem Memphin vocavit.* Quam verò Græci ſcriptores Memphin appellant, in ſacris literis Moph dicitur. Epaphi meminit Herodotus in Euterpe, & Thaliâ, ubi Apin Ægyptium Græcorum linguâ Ἔπαφον dici tradit. Locus, in quo Io mater Epaphum peperit, Straboni memoratur, lib. 10. Epapho σύγχρονον eſſe Phaëthontem Æthiopum regem, indicat Naſo Metamorphoſeôn libro primo.

Oenotrus Lycaonis filius natu minimus, pecuniâ & viris à fratre Nyctimo acceptis, claſſe in Italiam tranſmiſit; à quo fuit ea, in qua conſedit, terra, de Regis nomine Oenotria vocitata. Atque hæc prima à Græcis colonia deducta. Sed neque Barbaræ gentes ante Oenotrum εἰς τὴν ἀλλοδαπὴν commigrâſſe reperiuntur, ut ſcribit in Arcadicis Pauſanias. Oenotri illam partem habitârunt, quæ eſt inter duos ſinus, Scylleticum & Lameticum, ut docet Ariſtoteles Politicorum ſeptimo. Lameticum Sinum vocat, quem alii Hipponiaten.

niaten. Addit Philoſophus, eam regionem quæ priùs Oenotria dicebatur, pòſt ab Italo rege Italiam eſſe appellatam. Hinc Virgilius primo Æneïdos:

Oenotri coluêre viri: nunc fama, minores
Italiam dixiſſe, Ducis de nomine gentem.

Vult, Ducem illum, Italum ſcilicet, ſuo de nomine Italos dixiſſe, qui ab Oenotro fuerant Οἰνωτροὶ nuncupati; atque indè Italiam dici cœpiſſe, quæ priùs Οἰνωτρία vocabatur. Apud Strabonem Chones & Oenotri illam, quam diximus, Italiæ partem poſſediſſe memorantur. Χῶνες autem, Οἰνωτρικὸν ἔθνος fuiſſe dicit, quorum urbs Χώνη fuit nominata.

A. M. 2518. *ante Chriſtum* 1485.
MOSIS 91.

LAcedæmon ex Meſſenia oriundus, condit urbem Lacedæmonem. Euſeb. Scribit Apollodorus, Lacedæmona Jovis & Taygetæ filium regioni nomen dediſſe, & Amyclanta genuiſſe ex Sparta filia Eurotæ, qui ἀπὸ Λέλεγος αὐτόχθονος deſcenderat. In ea quidem regione (ut legimus apud Pauſaniam) primus regnavit Lelex indigena, & ab eo Leleges, quibus imperavit, populi nominati. Lelege Myles, & natu minor Polycaon geniti. Mortuo Lelege (à quo ea Græciæ pars Lelegia dicta fuit, quæ pòſt Laconia ſive Λακωνικὴ) è filiis natu major Myles patri in regnum ſucceſſit: Polycaon, quòd erat minor, privatam egit vitam ad illud uſque tempus, quo Argivam uxorem duxit Meſſenen Triopæ filiam, Phorbantis neptim. Ea, patris dignitate & opibus elata, virum in ordinem redigi non paſſa eſt. Comparatis itaque ab Argis & Lacedæmone auxiliis, in finitimam regionem Polycaon invaſit, quam de uxoris nomine Meſſenen nominavit: urbes verò & alias condidit, & in qua regni ſedem eſſe voluit, Andaniam. Myletis filius Eurotas, qui patri ſucceſſit, ſtagnantem in campis aquam ad mare alveo deduxit, & quod fuit aquarum reliquum in juſti amnis morem defluens, de ſuo nomine Eurotan nuncupavit. Hic cùm è vita deceſſiſſet nullâ ſuſceptâ virili ſobole, regnum Lacedæmoni reliquit. Erat hic quidem matre Taygetâ genitus (à qua mons nomen accepit) patrem verò Jovem ei fuiſſe fama prædicabat: uxorem autem duxerat Sparten Eurotæ filiam: ac ut primùm ad regnum acceſſit, regioni &

incolis omnibus de se nomen indidit: urbem deinde quam condidit, de uxoris nomine Sparten appellavit. Hujus filius Amyclas in agro Laconico oppidum munivit, & nominis sui monimentum reliquit. Hactenus ex Pausania.

Spartam verò nonnulli dictam volunt, propterea quòd Leleges, primi ejus urbis conditores, priùs διασπαρέντες vel sparsim habitantes, in unum ibi convenerint: quod etymon in Stephani Epitomâ legitur. Λέλεγες quoque dicti putantur, ὡς ἐκ πολλῶν συλλεγέντες ἐθνῶν, quòd ex variis gentibus collecti essent. Quam nominis notationem ex Hesiodi verbis elicit Strabo, & probat Dionysius Halicarnasseus. Lelegas enim appellatos arbitratur τὸς ἀνεσίους καὶ μιγάδας καὶ μηδαμόθεν γῆν βεβαίως ὡς πατρίδα κατοικοῦντας, id est, *Miscellaneam turbam hominum, qui absque certis sedibus huc illùc olim divagati sunt.*

Amphictyon, cùm decem annos regnâsset, pellitur Athenis ab Erichthonio. Regnat Erichthonius annos quinquaginta. Euseb. De fabuloso ortu Erichthonii legendus Apollodorus: qui inter alia, hæc habet, lib. 3. *Erichthonius in templo ab ipsa Minerva enutritus, pulso Amphictyone, Athenarum regno potitus est, ac Minerva signum in Arce constituit: nec non Panathenæorum celebritatem instituit; Pasitheâmque Naidem nympham uxorem accepit: ex qua sibi Pandion natus est.* Pausanias in Atticis: Αὐτὸς Ἀμφικτύων ὕστερον ὑπὸ Ἐρεχθέως καὶ τῶν συνωμοσάντων ἐκπίπτει. hoc est, *Ipse Amphictyon postea ab Erichthonio & aliis conjuratis oppressus est.* Hunc Erichthonium quadrigæ inventorem celebrat Virgilius Georgicôn libro tertio:

Primus Erichthonius currus & quatuor ausus
Jungere equos, rapidísque rotis insistere victor.

Alii quadrigam à Trochilo Argivo inventam tradunt, ut suprà diximus.

A. M. 2520. *ante Christum* 1483.
MOSIS 93.

CRotopo defuncto succedit filius Sthenelas, nonus rex Argivorum, regnátque annos undecim. Euseb. Hunc commemorat Pausanias lib. 2. Κρωτωπῷ δὲ Σθενέλας γίνεται. id est, *Crotopo natus est Sthenelas.*

Arcas Callistûs & Jovis filius, Lycaonis nepos, Pelasgorum potens factus, Arcadiam à se nominat. Vide Apollodorum libro 3.

Nyctimo-

Nyctimo Lycaonis filio ſucceſſiſſe Arcadem, docet Pauſanias, Arcadicis: Μετὰ δὲ Νύκτιμον ἀποθανόντα Ἄρκας ἐξεδέξατο ὁ Καλλιστοῦς τοῦ ἀρχαν. id eſt, *Mortuo Nyctimo, Arcas Calliſtûs filius regnum ſuſcepit.* Addit: Ἀπὸ τούτου δὲ βασιλεύσαντος Ἀρκαδία τε ἀντὶ Πελασγίας ἡ χώρα, καὶ ἀντὶ Πελασγῶν Ἀρκάδες ἐκλήθησαν οἱ ἄνθρωποι. id eſt, *Ab hoc Rege & ipſa, quæ antè Pelaſgia dicebatur, Arcadia terra, & gens Pelaſgi qui fuerant, Arcades nominati.* Huic Arcadi Erato nympha filios peperit Aphidantem, Azanem, & Elatum.

A. M. 2522. *ante Chriſtum* 1481.
MOSIS 95.

EPaphi filia Libya tertiæ Orbis terrarum parti nomen dediſſe olim putabatur. Sic enim ſcripſit Apollodorus libro tertio. Quam opinionem refert Solinus, cap. 27. *Quidam* (inquit) *Libyam à Libya Epaphi filia, Africam autem ab Afro Libyci Herculis filio dictam receperunt.* Dionyſius in Periegeſi, Libyam à vento, quem Græci λίβα vocant, nomen habuiſſe innuit. Nicias apud Euſtathium, tres Orbis partes à tribus viris, Europo, Aſio, & Libye, denominatas eſſe tradit. Et unus quidem ex filiis Meſraim, Λίβυς Joſepho appellatur, & Λάβιμοι, à quo nomen Libyæ manâſſe affirmat. Moſi Gen. 10. 13. Lehabim vocatur. Hinc Libyes, & ipſa terra Libya dicta. *Lehabim*, inquit Mercerus, *apertè ſunt Λίβυες, ab inflammatione ſic dicti, quòd ad Zonam torridam accedant, & eorum Regio cùm ſit calidior, fervoris indicia in vultu eorum appareant.* Hebraicè quidem *Laab flammam* ſignificat: cujus Plurale *Lehabim* eſt apud Eſaiam, 13. 8. Sed in prophetia Naum, cap. 3. & Dan. 11. 43. Lubim ſunt Libyes, eliſâ nimirum ה literâ, ut vult Schindlerus.

Ex Libya Epaphi filia Neptunus geminos fertur genuiſſe, Belum & Agenorem: Quorum alter, Agenor, in Phœnicen profectus, imbi regni ſedem conſtituit, & magnæ ſobolis auctor extitit. At Belus, qui ex Ægypto minimè diſceſſit, avitum regnum conſequutus eſt: & ex Anchinoë Nili filia gemellos ipſe ſuſcepit filios, Ægyptum ac Danaum. Horum alterum, Danaum ſcilicet, ad Libyam incolendam miſit. Ægyptus verò, in Arabiam miſſus, poſtquam Melampodum terram ſubegiſſet, Αἴγυπτον de ſeipſo nominavit. Hæc ſic narrat ex Græcorum ſententia Apollodorus, libro ſecundo. Unde diſcimus, quod & Ortelius notavit, ipſam Ægyptum olim τὸν

Μελαμπόδων χώραν fuisse appellatam; & Ægyptios, à fusco pedum colore, Μελάμποδας. Zenobius Parœmiographus hæc habet: Αἴγυπτος καὶ Δαναὸς ἀδελφοὶ ὄντες, τῆς ἄνω Μελαμπόδων ἐκράτουν γῆς, ἥτις νῦν Αἴγυπτος καλεῖται. id est, *Ægyptus & Danaus fratres, Melampodum terræ imperabant, quæ nunc Ægyptus vocatur.* Diodorus Siculus regionem ab Ægypto Nili filio nomen habuisse refert. Nilum enim ex Uchorei Regis filia (quæ Memphis dicebatur) susceptisse aiunt (τὸν ἐπ' ἀρετῇ θαυμαζόμενον παρὰ τοῖς ἐγχωρίοις Αἴγυπτον, ἀφ' οὗ καὶ τὴν σύμπασαν χώραν τυχεῖν τῆς προσηγορίας) virtutis admiratione celebrem Ægyptum, à quo tota sit regio nuncupata. Hic autem rex, quem Græci Αἴγυπτον appellare solent, Sesothis proprio nomine dicebatur, si Manethoni credimus: Et Sesothis Josepho Scaligero idem putatur esse, qui Diodoro Sesoosis, Herodoto & Straboni Sesostris nominatur. Sesostrin quidem Minoë Cretensium Legislatore antiquiorem esse affirmat Aristoteles Politic. lib. 7. cap. 10. πολὺ γὰρ ὑπερλείπει τοῖς χρόνοις τὴν Μίνω βασιλείαν ἡ Σεσώστριος. Verùm tamen quo seculo famigeratus ille Sesostris sive Σεσώωσις regnaverit, dubitari adhuc video. Manethonis verba de duobus illis fratribus (quos Græci Ægyptum & Danaum, ipse autem Sesothin & Armaïn appellat) habentur apud Flavium Josephum libro primo contra Apionem: Οὗτος (ὁ Σέσωθις) τὸν μὲν ἀδελφὸν Ἁρμαΐην ὀπίσσω τῆς Αἰγύπτου κατέστησεν, &c. hoc est, *Sesothis equestres & navales copias habens, fratrem quidem Armaïn procuratorem Ægypti constituit: ipse verò ad Cyprum & Phœnicen, ac rursus contra Assyrios & Medos ducto exercitu, alios ferro, alios terrore sibimet subjugavit. Procedente autem tempore, Armaïs, qui domi fuerat relictus, omnia contrà quàm frater agere monuerat, sine timore faciebat. Is verò qui constitutus erat super Sacra Ægyptia, codicillos Sesothi misit, cuncta significans, & quòd rebellaret ei suus frater Armaïs. Igitur ille repentè ad Pelusium destinavit, & proprium tenuit regnum. Regio autem vocata ex ejus nomine Ægyptus. Dicit enim Manethon* (ut ibidem addit Josephus) ὅτι ὁ μὲν Σέσωθις ἐκαλεῖτο Αἴγυπτος, Ἁρμαΐς δὲ ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ, Δαναός, *Quòd Sesothis vocabatur* (à Græcis scilicet) *Ægyptus, Armaïs autem frater ejus, Danaus.* Quot annos regno præfuerit, indicat Ethnicôn Scriptor: Αἴγυπτος, inquit, Βήλου παῖς ὤν, καὶ Ἀτερίας τῆς καὶ Ποταμίτιδος βασιλεύσας ἔτη τεσσαράκοντα τρία. id est, *Ægyptus Beli filius, in Aëria* (*quæ & Potamitis dicta*) *regnavit annos tres & quadraginta.* Ibidem addit, & Regionem, & flumen, Αἴγυπτε nomen hinc habuisse. Unde discimus, ipsum Fluvium,

Fluvium, Nilum ſcilicet, Αἴγυπτον olim dictum fuiſſe. Quatuor ejus Fluminis nomina Diodoro recenſentur; Ὠκεάμης, Αἰετὸς, Αἴγυπτος, Νεῖλος. De quibus obiter hîc quædam adjicienda ſunt.

De Nili fluvii Nominibus.

NIlus fluvius cur Αἴγυπτος olim appellatus fuerit, quæritur. Hac occaſione Nomina quædam ejus Fluminis explicabimus. Diodorus Siculus Bibliothecæ libro primo, ſcribit, hunc fluvium ἀρχαιότατον μὲν ὄνομα σχεῖν Ὠκεάμην, ὃς ἔστιν ἑλληνιστὶ Ὠκεανὸς, *antiquiſſimo dictum eſſe nomine Oceamen, quod Græcè effertur Oceanus.* Humorem enim priſcis Oceani appellatione notari dicit: quod vocabulum Ægyptii interpretentur Τεθὺν μητέρα, *Alimoniam matrem:* atque ità apud Poëtam accipi, ubi canit, Ὠκεανόν τε θεῶν γένεσιν καὶ μητέρα Τηθύν, Iliad. 14. Ægyptii enim (inquit) νομίζουσιν Ὠκεανὸν εἶναι τὸν παρ' αὐτοῖς ποταμὸν Νεῖλον, Nilum ſuum pro Oceano cenſent. Oceanus autem propriè eſt Mare, quo tota terra circumfunditur: ídque Homerus videtur non ignorâſſe. Herodotus tamen libro ſecundo, diſertè ait, ſibi nullum notum eſſe Oceanum: Commemoratâ enim opinione eorum, qui tradiderunt Nilum fluere ab Oceano, ipſum verò Oceanum γῆν περὶ πᾶσαν ῥέειν, orbem terrarum circumfluere, Oceanum fabuloſum cenſet: ἐγὼ γάρ τινα ἔγωγε οἶδα ποταμὸν Ὠκεανὸν ἐόντα, inquit, Ὅμηρον δὲ, ἤ τινα τῶν πρότερον γενομένων ποιητέων, σοφίῃ τὸ οὔνομα ἐξευρόντα εἰς τὴν ποίησιν εἰσενείκασθαι. id eſt, *Neque enim ego ullum novi Oceanum fluvium; ſed puto Homerum, aut aliquem priſcorum Poëtarum, hoc nomen cùm invenisſet, in ſuam Poëſin intuliſſe.* Oceanum Homerus quidem alicubi ποταμὸν dixit: quod pulcherrimâ allegoriâ poſſe exponi docet Philoſophus libro primo Meteorolog. cap. 9.

De nomine Αἰετός.

QUare autem celeberrimus ille Fluvius Αἰετὸς ſive Aquilæ nomen olim habuerit, explicat Diodorus, libro citato: *Temporibus Oſiridis,* inquit, *Nilus ſub Sirii ortum ruptis aggeribus magnam Ægypti partem inundavit, eámque maximè, cui Prometheus præerat; adeò ut parum abfuerit, quin ille doloris impatientiâ vitam ſponte abdicâſſet. A ſubito igitur irruptionis impetu & undarum violentia* (διὰ τὴν ὀξύτητα καὶ τὴν βίαν τοῦ κατενεχθέντος ῥεύματος) *nomen* Αἰετοῦ, *id eſt, Aquilæ, Fluvius accepit. Cùm autem Hercules rupturam obturâſſet, & Flu-*

men-

men intra pristinas alvei ripas coërcitum avertisset, Poëtæ Græci factum hoc detorsère ad fabulam, quasi Aquilam Promethei jecur depascentem Hercules confixerit. Hæc ille. Aliqui verò, quibus ego assentior, Ἀιετὸν sive Aquilam ab aquilo colore potiùs, quàm à rapido cursu Fluvium illum appellatum esse opinantur. Aquilus color (ut notat Casaubonus) propriè non est niger (neque enim nigræ sunt Aquilę) accedit tamen ad nigredinem; qualis ferè color aquæ, præsertim concitatæ, quæ Poëtis μέλαν ὕδωρ dicitur. Itaque Fluvius ille Ἀιετὸς (Aquila) dici potuit ob colorem, qualis scilicet cernitur in alitibus, qui Græcis Ἀιετοὶ, & Γῦπες, Γυπαίετοι, & Ἀιγυπιοὶ nominantur. Sicut autem Fluvius Ἀιετὸς, ità Regio ipsa Ἀετία olim dicta fuit, teste Stephano Byzantio, in Ἄιγυπτος.

De nomine Ἄιγυπτος.

IDem Fluvius veteribus quibusdam Ἄιγυπτος dicitur, ut apud Oppianum primo Κυνηγητικῶν, & apud ipsum Homerum, Odyss. 4. & 14. quod observat Pausanias, Bœoticis: Ὅμηρος, inquit, Ἄιγυπτον τὸν ποταμὸν εἶπεν, οὐ Νεῖλον. id est, *Homerus Nili nomen non usurpat, sed fluvium illum* Ἄιγυπτον *vocat.* Diodorus ex Odysseæ libro 14. citat hunc versum Homericum, Στῆσα δ' ἐν Ἀιγύπτῳ ποταμῷ νέας ἀμφιελίσσας. Ab Ægypto Rege Fluvium sic nuncupatum idem Auctor non dubitat. Fluvium toti Regioni, quam permeat, nomen hoc dedisse Veteres quidam tradiderunt. Sic enim Hesychius: Ἄιγυπτος, ὁ Νεῖλος ὁ ποταμός. ἀφ' οὗ καὶ ἡ χώρα ὑπὸ τῶν νεωτέρων Ἄιγυπτος ἐκλήθη. id est, *Ægyptus, Nilus fluvius: à quo & ipsa Regio recentioribus* Ἄιγυπτος *est appellata.* Græcis Vultur αἰγυπιὸς & γυπαίετος dicitur, ut modò diximus. Hinc αἰγύπτιος, qui est colore fusco, quem Plautus colorem vulturinum dixit, ut notat Jos. Scaliger Castigationibus in Festum: Ibidem porrò observat, Græcos, cùm scirent Nilum fluvium linguâ antiquissimâ *Sihor* vocari, hoc est, *Nigrum*, ἰσοδυνάμῳ verbo suo αἴγυπτον reddidisse: sic enim ab Homero fluvium illum vocatum esse. Itaque probabile est, ipsum quoque Sesostrin sive Sesothin Regem à fusco colore Ægyptum Græcis appellatum. Nili autem nomen Hebraicum *Sihor* vel *Sichor* (à verbo *Sachar* deductum) in Sacris Bibliis reperitur, Esaiæ cap. 23. Jerem. 2. & Jos. 13. ubi Latinus Interpres, *fluvium turbidum*, reddidit. Andreas Masius ad illum locum Josuæ, cap. 13. 3. hæc habet: *Sichor, Nilum esse, etiam Hebræi censent:*

neque

neque profectò ulla debet esse dubitatio; quando Jeremias sic cecinit, QUID TIBI VIS PER VIAM ÆGYPTI, UT BIBAS AQUAS SIHOR? Nimirum, quâ ratione à Græcis olim is fluvius vocatus est Μέλας, *& indè ipsa Ægyptus* Μελάμβωλος, *teste Eustathio in Dionysium; eâdem dictus est & ab Hebræis Sihor: nam id quoque verbum nigri habet notionem; propter turbidas limo aquas videlicet.* Consimilia his scripsit Nicolaus Fullerus Miscellaneorum libro secundo, cap. 8. Statuit Beatus Hieronymus, Sihor planè Nilum ipsum esse: & rationem addere solet à natura rei nominísque etymo petitam, eo quòd aquas turbidas habeat Nilus. Θολερὸν ὕδωρ Græci vocant. *Sihor* enim Hebraicè *nigrum* vel *nigricans* aut *fuscum* significat. Atque hinc fortassis Μέλας primò Græcis dictus est Nilus teste Eustathio: & exinde Latinis Melo, auctoribus Servio & Festo: nempe quòd *viridem Ægyptum nigrâ fœcundet arenâ*, ut ait Poëta Georgicôn quarto.

Ab Hebræa voce *Sihor* non valde abhorret nomen Nili Æthiopicum, *Siris*. Nam fluvius iste Σῖρις ὑπὸ Αἰθιόπων καλούμενος, ut testatur Dionysius in Periegesi: Unde & Σείριος ἀστὴρ Canicula nuncupatur; quasi dicatur Νειλαῖος ἀστὴρ, *Niliaca stella:* quia nimirum eodem tempore anni & Sirius exoriebatur, & Nilus crescebat: tanquam si illius (ὑδραγωγὸς scilicet) ignes, hujus aquas elicerent; pariterque ambo veluti concordes æstuarent, hic in terris, ille in cœlis. Ejusdem originis videtur esse Osiris, sive Ὄσιρις; sic enim Ægyptiacè proferri testatur Hellanicus apud Plutarchum: Quo nomine fluvium Nilum propriè designari à Sacerdotibus Ægyptiis sapientioribus, auctor est idem Plutarchus Libro de Osiride & Isside. Ibidem legas, Osirin (qui est Nilus) μελάγχροιν, id est, Nigri coloris, esse; quod quidem significationi nominis Hebraici prorsus congruit.

De nomine Νεῖλος.

NIlus, quod nomen est hujus Fluvii Græcis & Latinis usitatissimum, Grammaticis dictus putatur à limo, quem secum quotannis trahat, ἀπὸ τοῦ νέειν ὕλην ἄγειν. Hoc autem vocabulum Hebraicum esse *Nahal*, monent viri docti. *Nahal*, est *Torrens:* quo nomine Fluvius Ægypti, vel ejus brachium aliquod in sacris literis non ratò denotatur: nempe Numer. 34. 5. Josuë cap. 15. 47. Esa. 27. 12.

& 2. Paralip. 7. 8. His Scripturæ locis Nahal Miſraim, id eſt, Torrens Ægypti, de Nili rivo (ſic enim vocat B. Hieronymus) intelligi debet; qui & Torrens Deſerti dicitur, Amos cap. 6. 14. & Naar Miſraim, Fluvius Ægypti, Gen. 15. 18. Meritò autem Nilus Torrentis appellatione deſignatur: eſt enim magnus ille veréque mirandus totius Orbis Torrens, per excellentiam hyperbolicam ſic dictus, ut doctiſſimè obſervavit Strabo, libro primo: ὁ μὲν γὰρ χειμάρρους, inquit, ὑπερβάλλεται τοὺς ἄλλους ποταμούς, τῷ διπλοῦς εἶναι· ὁ δὲ Νεῖλος καὶ τοὺς χειμάρρους, ὅτι τοσοῦτον πληρέμβολος καὶ πλήθους, καὶ χρόνου. hoc eſt, *Torrens ampliùs quàm reliqua flumina augetur aquis pluviis vel cælitus cadentibus: Nilus verò ipſos torrentes eo ipſo ſuperat, tantâ copiâ aquæ, tam longo turgens tempore.* Igitur Ægyptii dicebant Nilum de cœlo ad ipſos delabi, tanquam διοπετὲς quoddam. Unde Menelaus apud Homerum Odyſſeæ quarto meminit Αἰγύπτοιο διιπετέος πολαμοῖο. Ibi Nilus vocatur Αἰγυπτος διίπετὴς ποταμός, propter immenſam aquarum cœleſtium vim, ſive imbres largiſſimos & aſſiduos, quibus in Æthiopiam ſtato tempore quotannis, à Solſtitio ſcilicet æſtivo ad Æquinoctium autumnale, è cœlo defluentibus, uſque eò intumeſcere & augeſcere ſolet Nilus, ut quàm latiſſimè diutiſſiméque ſtagnans, Ægypti terram inundet, ac Torrentium omnium longè torrentiſſimus evadat, ut eleganter ſcribit Fullerus. Quare nomen *Nahal* in Sacris Bibliis huic fluvio καθ' ἐξοχὴν impoſitum eſt: ipſúmque Nili nomen, & Græcis & Latinis Scriptoribus tantopere celebratum, ab hac Hebræa voce (quæ Ægyptiis *Neel* efferebatur) promanaverit: etſi Diodorus à Nileo Rege Fluvium Νεῖλον dictum eſſe tradidit, ſicut & à Rege Ægypto, Αἴγυπτον.

Totam verò Regionem ab ipſo Fluvio nomen Αἰτίας & Αἰγύπτου accepiſſe, non eſt quòd miremur. Quemadmodum enim qui ad hanc regionem appellunt, nihil priùs in ea conſiderant, quàm Nili naturam; (qui enim Fluvii naturam veſtigârit, ei totius regionis qualitas fit manifeſta:) ità & qui procul indè remoti audiunt de Ægypto, primò omnium de Nilo inaudiunt. Adde, quòd Veteribus perſuaſum fuit, Ægypti Terram ποταμοχωστον, id eſt, eluvionibus Nili aggeſtam eſſe. Sic enim ſcribit Ariſtoteles libro primo Meteor. cap. 14. φαίνεται πᾶσα ἡ χώρα τῇ ποταμῷ φερόμενα ἴσα τῷ Νείλῳ, *Tota Regio videtur eſſe terra aggeſta à Nilo fluvio.* Herodoti hæc opinio eſt, in Euterpe: *Ægyptus* (inquit) *in quam Græci navigant*, δόξιν ἐπίκτητος γῆ, καὶ δῶρον τοῦ Ποταμοῦ,

ποταμῶ, *Acceſsio eſt terræ, & Fluminis donum.* Idcirco hæc regio nonnullis Ποταμία & Ποταμίης olim fuit nuncupata, ut notat Ortelius. Coptus urbs Thebaïdis (quam aliqui putant Ægypto nomen dediſſe) Straboni memoratur, & aliis auctoribus recentioribus: apud antiquiores nullam Κοπτῦ mentionem reperi.

A. M. 2526. *ante Chriſtum* 1477.
MOSIS 99.

DArdanus Dardaniam à ſe dictam urbibus inſtruit ſub Sthenelao Argivorum Rege. Euſeb. Ante Euſebium Tatianus id notaverat: Κατὰ Σθενέλαον ἢ ὑπὸ Δαρδάνου τῆς Δαρδανίας κτίσις. Dardanum & Iaſionem fratres ex Electra Atlantis filia Jupiter genuiſſe dicitur. Electra Samothracen incoluiſſe fertur, quam idcirco Inſulam Electræ Atlantidos dixit Apollonius Rhodius. Iaſiona Cereri amatum legimus, apud Clementem Protreptico: ità enim ibi legendum, non Ἰάσονα. Ovidius Metamorph. lib. 9. *--queritur caneſcere mitem Iaſiona Ceres.* Scribit Apollonii Scholiaſtes, Iaſiona fulmine interemptum, quòd Cereris ſtatuam contumeliâ affeciſſet. Apollodorus verò eum fulmine ictum occubuiſſe ait, cùm Cereri vim inferre vellet: & Dardanum fratris interitu mœſtum, Samothrace relictâ in objectam Continentem tranâſſe, ubi tunc temporis Teucer Scamandri filius regnabat: à quo Teucri vocabantur, qui regionem illam incolebant. Ibi Dardanum in regni partem admiſſum, Batéan Teucri filiam duxiſſe, ac urbem ſuo de nomine dictam condidiſſe: poſt Teucri verò mortem, univerſam regionem Δαρδανίαν appellâſſe. Hæc ille. Quibus adtexenda ſunt, quæ de Dardano & Iaſione ſcribit Diodorus, libro quinto: *Conſtitutâ Samothracum republicâ*, inquit, *naſcuntur apud eos ex Jove & Electra filia Atlantis, Dardanus, Iaſion, Harmonia. Ex his Dardanus vir magnanimus & acer fuit; qui primus in Aſiam lembo* (ἐπὶ σχεδίας) *trajecit, & Dardano urbe conditâ regnum conſtituit. Multas præterea gentes in Aſia ſub ditione habuit: cujus etiam Colonia eſſe dicitur gens Dardanorum ſupra Thraciam. Cúmque Jupiter alterum quoque filium* (Iaſiona) *ad honores evectum cuperet, myſteriorum ritus ei tradidit, antea quidem in ea inſula* (Samothrace) *receptos, ſed tunc traditione renovatos; quos nemini præter initiatos audire fas eſt.* Atlantem Dardani atavum potiùs, quàm avum fuiſſe, nonnulli ſuſpicantur. Docet autem Ser-

vius, tres fuisse Atlantas: unum Maurum, qui est maximus: alterum Italum, patrem Electræ, unde natus est Dardanus : tertium Arcadicum, patrem Maiæ, unde natus est Mercurius. Fatetur tamen, maximum Atlantem habuisse etiam horum nominum filias, id est, Electram & Maiam: ideóque Poëtam tres Atlantas confundere, octavo Æneidos, ubi sic canit:

Dardanus Iliacæ primus pater urbis & auctor,
Electrâ, ut Graii perhibent, Atlantide cretus,
Advehitur Teucros: Electram maximus Atlas
Edidit, ætherios humero qui sustinet orbes.

Dardani originem à Tuscis repetit idem Poëta, Æneïdos septimo:

Dardanus Idæas Phrygiæ penetravit ad urbes,
Threïciámque Samum, quæ nunc Samothracia fertur;
Hinc illum Corithi Tyrrhena ab sede profectum
Aurea nunc solio stellantis regia cœli
Accipit.—

Ibi Servius: *Jupiter cum Electra Atlantis filia, Corithi regis Italiæ uxore, concubuit. Sed ex Jovis semine natus est Dardanus; ex Corithi Jasius.* Addit, Dardanum ad Phrygiam profectum, Jasium verò Samothraciam tenuisse: oppidum Tusciæ, & montem, à rege Coritho ibi sepulto, nomen habuisse. Corithi meminit etiam Silius Italicus lib. 4. —*sedémque ab origine prisci Sacratam Corithi.*

De Teucro sic scribit Diodorus, libro quarto: *In Troade primus regnavit Teucer, Scamandri fluvii & Idææ nymphæ filius, vir illustris, qui populis illis Teucrorum nomen indidit. Hujus filiam Batéam matrimonio sibi junxit Dardanus Jovis filius; & succedens in regno, subditos à se Dardanos vocari jussit: urbem quoque ad littus maris à se conditam, Dardanum suo nomine appellavit.* Teucrum Cretensem fuisse, docet Servius, ad illa Maronis verba, *Teucrus Rhœtéas primùm est advectus ad oras:* De Teucri parentibus, inquit, dupliciter traditur. Alii enim Curetis & Idææ nymphæ, alii (inter quos & Trogus) Scamandri filium tradunt: qui Scamander, cùm Creta frugum inopiâ laboraret, cum parte tertia populi ad exteras sedes quærendas profectus est, ab Apolline monitus, ibi eum habiturum sedes, ubi noctu à Terrigenis oppugnatus esset. Cùm ad Phrygiam venisset, & castra posuisset, noctu mures arcuum nervos & loramenta armorum adroserunt. Scamander hos interpretatus hostes esse terrigenas,

rigenas, in Idæ montis radicibus ædificia collocavit: Qui, cùm adversus Bebrycas finitimos bellum gereret, victor in Xantho flumine lapsus non comparuit: qui pòst à Cretensibus in honorem Regis sui Scamander appellatus est: filióque ejus Teucro regnum (est) traditum: qui cives è suo nomine Teucros appellavit, qui pòst à Rege Troë Trojani dicti sunt: & templum Apollini constituit, quem Smintheum appellavit: Cretenses enim Murem Sminthicem dicunt. Hanc historiam obscuro suo poëmatio Lycophron inseruit. Ibi enim sic canit Cassandra:

——κλῶπα σὺν Τεύκρῳ στρατὸν
Καὶ σὺν Σκαμάνδρῳ Δραυκίῳ φυτοσπόρῳ
Ἐις Βεβρύκων ἔστειλαν οἰκητήριον
Σμίνθοισι δηρίσοντας· ὧν ἀπὸ σπορᾶς
Ἐμοὺς γενάρχας ἐξέφυσε Δάρδανος,
Γήμας Ἀρίσβαν Κρῆσσαν εὐγενῆ κόρην.

id est, *Cretenses raptorem exercitum cum Teucro & genitore ejus, Scamandro Draucio, in Bebrycum regionem dimiserunt cum muribus pugnaturos: ex quorum origine meos majores procreavit Dardanus, ductâ Arisbâ Cressâ nobili puellâ.* De templo Sminthei Apollinis vide Strabonem, lib. 13.

Teucri filiam, quæ nupsit Dardano, Arisbam dictam fuisse, nonnulli Veterum prodiderunt. Sic enim apud Ethnicôn Scriptorem legimus: Κεφάλων δὲ φησιν, ὅτι Δάρδανος ἀπὸ Σαμοθράκης ἐλθὼν εἰς τὴν Τρωάδα, τὴν Τεύκρου τοῦ Κρητὸς θυγατέρα γαμεῖ Ἀρίσβην. Ἑλλάνικος δὲ Βάτειαν αὐτὴν φησιν. hoc est, *Dardanus (ut ait Cephalon) à Samothrace profectus in Troadem, uxorem ducit Arisbam Teucri filiam, quam Hellanicus Batéam vocat.* Ab ea oppidum Arisba dicitur. Etymologus: Ἀρίσβη, πόλις, ἀπὸ Ἀρίσβης θυγατρὸς Τεύκρου, ἣν ἔγημε Δάρδανος.

Dardanum tempore Cataclysmi trajecisse in Asiam, notat Scholiastes Homeri, ad Iliad. 20. Igitur Lycophroni Δύπτης appellatur, id est, *Natator*, qui è Samothracia tempore diluvii enataverit ἐν ῥαπτῷ κύτει, in lembi ventre consuto. Tres quidem κατακλυσμοὺς enumerat Nonnus Poëta Dionysiacôn libro tertio; quorum Primus sub Ogyge, Secundus sub Deucalione, Tertius temporibus Cadmi & Dardani contigerit. De hoc tertio diluvio loquitur Eustathius Dionysii Interpres, ubi ait, *Dardanus è Samothrace* ἐν τῷ κατακλυσμῷ διεπορθμεύθη εἰς τοὺς Τρωϊκοὺς τόπους, .i. *in Troadem trajecit tempore Cataclysmi.*

Samothrace, insula est Maris Ægæi, Thraciæ opposita. Eadem &

Samos olim dicebatur: sed ut à Samo Ionica distinguatur, Thracica Samus, Θρηϊκίη Σάμος, & Σαμοθράκη pòst appellata est. In hac Insula, Corybantes Cybeles Sacerdotes, Sacra Matris Deûm (solennia mysteria) celebrabant, quæ & Samothracum mysteria dicuntur. Neque solùm Magnæ Matri (quæ Saturni, ut aiunt, uxor fuit, aliísque nominibus vocata est Ops, Rhea, Cybele) sed etiam Cabiris sacra fiebant apud Samothracas. A Pelasgis edocti Samothraces τὰ Καβείρων ὄργια peragebant, ut scribit Herodotus. Cabiri dii sunt, Ceres, Proserpina, & Pluto; quibus addebatur quartus, Mercurius. Hos autem aliis (mysticis) nominibus vocatos fuisse, docet Apollonii Rhodii Interpres: Μυοῦνται ἐν τῇ Σαμοθράκῃ τοῖς Καβείροις· ὧν Μνασίας φησὶ καὶ τὰ ὀνόματα. τέσσαρες δ' εἰσὶ τὸν ἀριθμὸν, Ἄξιερος, Ἀξιόκερσα, Ἀξιόκερσος· Ἄξιερος μὲν ἔστιν ἡ Δημήτηρ· Ἀξιόκερσα δὲ, ἡ Περσεφόνη· Ἀξιόκερσος δὲ, ὁ Ἅιδης· ὁ δὲ τέταρτος Κάσμιλος, ὁ Ἑρμῆς ἐστιν, ὡς ἱστορεῖ Διονυσόδωρος. id est, *In Samothrace initiantur homines Sacris Cabirorum: quorum nomina ponit Mnaseas. Sunt autem numero quatuor, Axierus (Ceres,) Axiocersa (Persephone,) Axiocersus (Pluto:) quibus additur quartus, Casmilus, qui Mercurius est, ut refert Dionysodorus.* Alii tamen, ut notat idem Scholiastes, duos primitus Cabiros fuisse tradiderunt, Jovem & Bacchum. In Samothraces mysteriis Casmilum nominari Dium quendam administrum Diis Magnis, ait Varro libro 6. De Lingua Latina. Mercurium apud Tuscos Camillum appellatum fuisse, ex Macrobio discas, Saturnal. lib. 3. cap. 8. Cœlum & Terram esse Deos Magnos Samothracum, prodidit ille Romanorum doctissimus Varro, De L. L. lib. 4. Addit, Hos esse, qui in Samothrace Θεοὶ δυνατοὶ, & in Augurum libris DIVI POTES vocantur. Eam esse nominis Καβείρων interpretationem, notant viri docti. Nam hæc vox *Cabir* linguâ antiquissimâ δυνατὸν significat, id est, *Potem*, sive *Potentem*. Arcana illa Cabirorum Orgia in vulgus efferre, nemini fas erat. Itaque Apollonius libro primo Argonauticôn, ubi Samothracen insulam commemorat, ritus mysticos, quibus Dæmones illi apud Samothracas colebantur, silentio præterit:

Νῆσον ὁμῶς κεχάροιτο, τὰ δὴ λάχον ὄργια κεῖνα
Δαίμονες ἐννάετται, τὰ μὲν ἀ θέμις ἄμμιν ἀείδειν.

Pausanias hac δεισιδαιμονίᾳ constrictum atque retentum se fatetur, Bœoticis: Ὅστινες δ' εἰσὶν οἱ Κάβειροι, καὶ ὁποῖά ἐστιν αὐτοῖς καὶ τῇ Μητρὶ τὰ δρώμενα, σιωπῇ ἄγοντι ἐμοὶ αὐτῶν συγγνώμη παρὰ ἀνδρῶν φιλικῶν ἔστω μοι. hoc est,

Qui

Qui verò sint Cabiri, & quo ritu ipsis Magnaq. Matri sacra fiant, reticenti mihi, ab iis hominibus quos hac audiendi studium tenet, esto venia. Hæc obiter de Samothrace, quam Dionysius Κορυβάντιον ἄσυ dixit, quòd ibi Corybantes ea sacra primò peragerent, quæ indè ad Phrygas manârunt. Sunt qui Corybantas eosdem cum Curetibus esse volunt.

Dardanus Samothracum mysteria in Phrygiam detulit. Qua de re sic scribit Diodorus, libro quinto: Jasion ex Cybele uxore Corybantem genuisse fertur. Jasione autem ad deos recepto, Dardanus, Cybele, & Corybas, in Phrygiam simul profecti, Matris Deorum sacra in Asiam transtulerunt. Ibi Cybele Olympi conjux facta, suo de nomine Rheam Κυβέλην appellavit: & Corybas Κορύβαντας de se nominavit eos, qui fanatico furore correpti Matris sacra obibant. De Corybantibus plura legi possunt apud Strabonem libro decimo. Varro, teste Macrobio, scripsit, Dardanum deos Penates ex Samothrace in Phrygiam, & Æneam ex Troja eosdem in Italiam detulisse. Samothracum Deos eosdémque Romanorum Penates propriè dici θεὺς μεγάλους, θεὺς χρηστὺς, θεὺς δυνατὺς, ex Cassio Hemina refert idem Macrobius Saturnal. lib. 3. cap. 4. Addit, Maronem hæc scientem dixisse, Æneidos 3. *Cum sociis, natóque, Penatibus, & Magnis Diis.*

A. M. 2531. *ante Christum* 1472.

MOSIS 104.

SThenelo (sive Sthenelao) defuncto succedit filius Gelanor, decimus Argivorum rex. Hunc regno pellit Danaus, qui & ipse pulsus patriâ fuerat ab Ægypto fratre. Igitur numeratur Danaus decimus rex Argivorum, regnátque annos quinquaginta. Euseb.

Ægyptus Danai frater filios quinquaginta genuerat ἐκ πολλῶν γυναικῶν, ex pluribus conjugibus. Sic enim narrat Apollodorus: etsi Hippostratus Ægyptum tot filios ἐκ μιᾶς γυναικὸς Εὐρυόπης, ex una conjuge Euryope, genuisse tradidit, ut refert Phlegon Trallianus libro De Mirabilibus. Danaus autem quinquaginta filias, ex diversis utique mulieribus, susceperat. Hi duo fratres πολύτεκνοι cùm de regno inter se contenderent, Ægyptus, ratus se hoc modo simultatem componere posse, filias fratris suis filiis uxores poposcit. Danaus verò, quia fuerat oraculo præmonitus, ab uno generorum mortem sibi imminere, filias suas fratris Ægypti filiis denegavit:

cúmque

cúmque Navim πεντηκόντορον, de filiarum ſuarum numero dictam, fabricâſſet, ex Ægypto diſcedens Rhodum navigavit, ibíque Minervæ Lindiæ ſtatuam poſuit, & indè in Argolidem ſe contulit. Hæc habes apud Apollodorum Bibliothecæ lib. 2. Scripſit etiam Herodotus ſub finem libri ſecundi, Minervæ Templum quod Lindi erat, extructum fuiſſe à Danai filiabus eò appulſis, cùm filios Ægypti fugerent. Eandem hiſtoriam tradit Diodorus, libro quinto: *Danaus ex Ægypto cum filiarum agmine profugus, in Rhodum trajecit: & ab indigenis exceptus, Templum Minervæ poſuit, eíque ſtatuam conſecravit. In hac Danai peregrinatione tres filiæ ejus fato conceſsêre* ἐν τῇ Λίνδῳ. *cæteræ cum patre Argos pervenerunt.* Hæc ille.

Danaus ubi in Argolidem venit, cum Gelanore de regno diſceptare cœpit. Cúmque eorum uterque ad populum multa, eáque maximè probabilia & juri conſentanea diceret, & Gelanor non minùs æqua quàm Danaus dicere videretur; cauſa in craſtinum dilata eſt. Poſtero die, cum prima luce, in boum gregem ante urbem paſcentium lupus impetum fecit, ipſúmque taurum gregis ducem adortus, confecit. Viſum eſt tunc Argivis Gelanorem tauro, Danaum lupo comparare: quòd ſcilicet, utì lupus eſt animal homini non familiare, ſic propemodum ad id temporis nullâ fuiſſet Danaus uſus Argivorum conſuetudine. Quare cùm Lupus Taurum (per quem intelligebant Gelanorem, hactenus Ducem ſuum) confeciſſet; è re nata Argivi Danao imperium adjudicârunt. Tunc Danaus Lupum ab Apolline immiſſum interpretatus, Lycii Apollinis ædem extruxit, ut in Argolicis ſcribit Pauſanias.

Igitur hoc modo potitus Argolide Danaus, Argos urbem Regioni cognominem auxit, & exornavit: unde & Δαναῦ πόλις Pindaro appellatur. Quinetiam ſuo ipſius nomine incolas Δαναὸς dixit, ut teſtatur Euripides; cujus verba hæc adduxit Strabo lib. 5.

Δαναὸς ὁ πεντήκοντα θυγατέρων πατὴρ
Ἐλθὼν εἰς Ἄργος, ὤκισεν Ἰναχὶς πόλιν·
Πελασγιώτας δ' ὠνομασμένους τὸ πρὶν,
Δαναὸς καλεῖσθαι νόμον ἔθηκ' ἐν Ἑλλάδι.

hoc eſt, *Quinquaginta filiarum pater Danaus, Argos profectus, Inachi civitatem condidit, & Pelaſgiotas nuncupatos antea, Danaos vocari lege latâ juſsit per Graciam.* Arcem ſive ἀκρόπολιν Argivorum à Danao extructam legimus apud Strabonem libro 8. Cúmque Argos

ἄλ-ſιον

ὄψιον antea haberetur, Danaus urbem aquis abundare fecit, idque filiarum ministerio. Apollodorus, lib. 2. Ἀνύδρᾳ δὲ τῇ χώρᾳ ὑπαρχούσῃ, ταῖς θυγατράσι ὑδρευομέναις ἔπεμψεν. id est, *Cùm ea Regio aquarum caritate laboraret, filias suas aquatum emisit.* Strabo autem libro proximè citato, hæc habet: Τὴν μὲν χώραν συγχωροῦσιν εὔυδρον αὐτὴν δὲ τὴν πόλιν ἐν ἀνύδρῳ χωρίῳ κεῖσθαι, φρεάτων δ' εὑρεῖν, ἃ τοῖς Δαναΐσιν ἀνάψασιν, οἱ ἐκείνων ἐξευρεῖν. id est, *Regionem quidem aquæ esse divitem fatentur, ipsam verò urbem in loco aquæ experte sitam dicunt, puteorum tamen copiâ instructam; quorum inventionem Danai filiabus acceptam ferunt.* Atque hinc esse versiculum natum aiunt,

Ἄργος ἄνυδρον ἐὸν Δαναοῖ θέτο Ἄργος ἔνυδρον.

Expers Argos aquæ, lymphis Danaæ ditârunt.

Idem Geographus in primo, scribit, Danaum Argis aquatica instrumenta demonstrâsse, τὰ ὑδρεῖα τὰ ἐν Ἄργει παραδεῖξαι. Idcirco Nonnus Poëta Danaum ὑδροσόον, id est, *Aquilégem*, appellat, ut qui scientiam librandi aquas habuerit.

Danaum Herodotus Chemmitam fuisse tradit, in Chemmi oppido Thebaicæ provinciæ natum: Is tamen Argivus origine existimatus est, ut qui ab Epapho Iûs Argivæ filio genus duxerit: idcóq; Gelanori Sthenelai filius Argolidis dominium dubium fecit, & tandem eripuit.

A. M. 2532. *ante Christum* 1471.
MOSIS 105.

POst Danai discessum, frater Ægyptus veritus, nè Danaus de filiabus per generos & nepotes auxilia conquireret, in Argolidem misit filios suos quinquaginta cum exercitu ad Danaum bello petendum, eâ lege, ut aut ipsum Danaum interimerent, aut cum filiabus ejus matrimonia inirent. Coactus itaque obsidione Danaus, filias illis despondit. Interim tamen singulis filiabus mandavit, ut quæque suum sponsum primâ statim nocte interficeret: in eúmque finem pugionem cuique tradidit. Cui jusso paruerunt omnes, exceptâ unicâ Hypermnestrâ, quæ Lynceo patrueli ac sponso suo pepercit. Historiam narrat Apollodorus, lib. 2. *Ægypti filii ubi Argos venerunt*, inquit, *Danaum hortabantur ut simultatem deponeret, & filias sibi in matrimonium daret. Tum Danaus, simul quòd parùm crederet eorum blandis pollicitationibus, simul quòd exilii sui reminisceretur,*

retur, (μνησικακῶν) *nuptias pactus, Hypermnestram & Gorgophonen (natarum maximas) Lynceo & Proteo selegit, quos ex conjuge regina Argyphia Ægyptus susceperat. Indè suam quisque sortitus est conjugem: cunctique in convivium accepti sunt.* Ἑστιάσας ἐγχειρίδια διαδίδωσι τοῖς θυγατράσιν. id est, *Danaus, ubi generos excepisset convivio, enchiridia sive pugiones filiabus suis distribuit: Quibus illæ sponsos somno sepultos, suum quæque, trucidârunt, unâ tantummodo exceptâ Hypermnestrâ: hæc enim sola Lynceum, quòd ejus virginitate abstinuisset, incolumem asservavit. Quamobrem Danaus hanc in vincula conjectam custodiri jubet. Reliquæ Danaïdes præsecta sponsorum capita in Lerna defoderunt, corpora verò ante urbem sepelienda curârunt.* Hæc ille. Ægypti filiorum monumentum in via, quæ ducit ad Arcem, fuisse refert Pausanias: hîc enim, inquit ille, abscissa à reliquo corpore capita sunt condita, sicuti in Lerna sine capitibus corpora. Nam & eorum cædes ad Lernam commissa. Postquam verò adolescentes istos fœminæ trucidâssent, capita absciderunt, quò certum facinoris indicium ad patrem deferrent.

Sunt qui Bebrycen, quæ una fuit ex Danai filiabus, suo etiam sponso pepercisse tradunt. Eustathius, Commentariis in Dionysium: ἡ Βεβρύκη μὲν καὶ Ὑπερμνήστρα μόναι τῶν συνεύνων ἐφείσαντο. Ibidem dicit, hanc Danai filiam cum sponso suo fugisse in regionem, quæ pòst ab ea fuit Bebrycia dicta. Apollodorus quidem in Catalogo Danaïdum, Bebrycen fortasse nominavit, quæ in vulgatis codicibus perperam Βρύκη appellatur. Idem Auctor innuit, duas Danai filias maritis pepercisse: *Danaus,* inquit, *Ægypti filios præter unum aut alterum* (πλὴν ἑνὸς ἢ δυεῖν) *filiarum suarum operâ necavit.* Plerique tamen Auctores Hypermnestram solam, quæ à cæde sponsi sui abstinuerit, commemorant. Ità Pindarus Nemeôn 10. Οὐδ' Ὑπερμνήστρα παρεπλάγχθη, μονόψαφον ἐν κολεῷ καταχοῖσα ξίφος, *Hypermnestra non aberravit, dum in vagina retinuit gladium aliis non consentientem.*

Hæc nobilissima virgo (ut apud Pindari Interpretes legimus) Lynceum sponsum suum profundâ adhuc nocte excitum Larissâ exire, & fugâ sibi consulere jussit. Pleniùs rem narrat Pausanias: *Cùm de quinquaginta fratribus unus est necis periculo liberatus Lynceus, in Lyrceam Argolidis oppidum vicinum confugit: atque hinc face prolatâ signum dedit. Ità enim ei cum Hypermnestra convenerat, ut si Danai insidias effugiens in tutum se recepisset, indè facem ostentaret.*

Ipsam

Ipſam etiam viciſſim Hypermneſtram aiunt à Lariſſa, quæ arx fuit Argivorum, facem protuliſſe, quò ſe ſignificaret periculum omne evaſiſſe. Eam ob rem Argivi quotannis Feſtum Facularum (πυρσῶν ἑορτὴν) *celebrârunt. Vocavit quidem Danaus poſtea Hypermneſtram filiam in judicium, quòd una ex omni filiarum numero, patris imperata facere neglexiſſet. Sed Argivorum illa ſententiis abſolutâ, in ejus judicii memoriam, Venerem Victricem* (Ἀφροδίτην Νικηφόρον) *dedicavit.*

Poſtea Lynceus Danao ſocero reconciliatus, uxorem Hypermneſtram ab eo recepit, ut diſcas ex his Apollodori verbis: Δαναὸς δὲ ὕστερον Ὑπερμήστραν Λυγκεῖ συνῴκισε· τὰς δὲ λοιπὰς θυγατέρας εἰς γυμνικὸν ἀγῶνα τοῖς νικῶσιν ἔδωκεν. id eſt, *Demum poſtea Danaus Hypermneſtram Lynceo in matrimonium copulavit, cæteras autem filias in gymnicum certamen productas victoribus habendas dedit.* Hoc paulo accuratiùs explicat Pauſanias, Laconicis: *Danaus cùm nanciſci non poſſet qui ipſius filias duceret parricidio pollutas, dimiſit qui nunciarent, nullum ſe à viris ſponſalium nomine munus poſcere; verùm optionem puellis daturum, ut earum quælibet ſibi eum deligeret, cujus maximè eſſet complacita forma. Cùm ad eam famam non ſanè multi conveniſſent; curſûs certamine propoſito, ei qui cæteros prævenisſet, quam ille maluiſſet: ſecundo, alteram: eodémque ordine cæteras, quouſque per numerum juvenum potuit, elocavit. Reliquas, quæ viros nactæ non eſſent, expectare juſſit, uſque dum novi proci in curſûs certamen deſcenderent.*

Ità autem infames fuêre Danai filiæ, ut creditum fuerit, eas ob ſcelus perpetratum, apud inferos dolium pertuſum ſemper aquâ implere, è quo tantundem ſemper effluat, quantum infuſum fuerat. Hinc Tibullus,

Et Danai proles, Veneris quòd numina læſit,
In cava Lethæas dolia portat aquas.

Et Naſonis illa pervulgata ſunt, Metamorphoſeôn libro quarto,

Moliríque ſuis letum patruclibus auſæ,
Aßiduè repetunt, quas perdant, Belides undas.

Vide Adagium, Ἄπληστος πίθος, apud Zenobium.

A. M. 2534. *ante Chriſtum* 1469.
MOSIS 107.

BUſiris Epaphi ex Libya filia nepos, apud Ægyptios regnat; qui hoſpites Diis immolâſſe dicitur. Euſeb. Hinc Poëta cecinit Georgicôn libro tertio,

—quis aut Euryſthea durum,
Aut illaudati neſcit Buſiridis aras?

Illaudatum dixit Buſiridem, ut ab omni etiam ſpecie ullius virtutis alieniſſimum. Ac fieri poteſt, ut ad Iſocratis orationem alludens, falſas laudes, non eſſe laudes innuat. Scripſit enim Iſocrates hujus Buſiridis Encomium. Apollodorus ait, Herculem, poſtquam Antæum in Libya ſuſtuliſſet, Ægyptum peragrâſſe, in qua regnabat Buſiris Ποσειδῶνος καὶ Λυσιανάσσης τῆς Ἐπάφου. Lyſianaſſam Epaphi filiam nominat, Buſiridis matrem. Deinde hanc hiſtoriam ſubtexit: Hic (Buſiris) ad Jovis aram hoſpites oraculo quodam monitus immolabat. Cùm enim Ægyptus per novem annos ſterilitate laboraret; Thracius vaticinandi peritus, è Cypro advenit: qui hanc annonæ caritatem deſituram eſſe pronunciavit, ſi virum hoſpitem quotannis Jovi mactârint. Tum Buſiris, vate illo priùs immolato, advenientes deinceps jugulabat. Comprehenſus autem Hercules cùm ad aras traheretur, diſruptis vinculis, ipſum Buſirim filiúmq; ejus Amphidamanta, & præconem Chalbem interfecit. Apud Diodorum Siculum libro primo, Oſiris dicitur tractibus qui ad Phœniciam inclinant & locis maritimis Buſirim, Æthiopiæ verò & Libyæ Antæum, curatores dediſſe. Itaque fuerit hic Buſiris Antæo σύγχρονος, & ante centum annos vixerit. Idem Auctor duos alios memorat Reges ejuſdem nominis, quorum prior fuit poſt Menam rex ordine ſucceſſionis quinquageſimus tertius: ab altero autē, hujus trinepote, Dioſpolin fuiſſe conditam: hiſtoriam verò de Buſiride ξενοκλάνῳ, pro fabula habendam eſſe cenſet. Sic enim ſcribit: *Homines rufos* (πυῤῥοὺς) *ut qui Typhoni* ὁμοχρώματοι *eſſent, ad Oſiridis ſepulchrum antiquitus à Regibus mactatos eſſe, aiunt. Cùm verò pauci Ægyptiorum rufi invcniantur, ſed peregrinorum complures; hinc apud Græcos Fabula de ſævitia Buſiridis advenas obtruncantis* (περὶ τῆς Βυσίριδος ξενοκτονίας) *invaluit: non quòd rex aliquis Buſiris vocatus ſit; ſed quia Tumulus Oſiridis linguâ Ægyptiacâ* Βύσιρις *dicebatur.* Eratoſthenes apud Strabonem lib. 17. auctor eſt, κοινὸν μὲν εἶναι τοῖς βαρβάροις πᾶσιν ἔθος, τὸν ξενηλασίαν, id eſt, *Communem Barbaris omnibus conſuetudinem eſſe, ut hoſpites pellant:* Ægyptios verò ob ea, quæ in fabulis de Buſiride dicta ſunt, accuſari à poſteris volentibus ejus loci, qui Buſirites Νόμος appellatur, inhoſpitalitatem notare; cùm revera nullus neque rex fuerit Buſiris, neque tyrannus. Urbs quidem

Ægypti

Ægypti Βύσιεις Stephano memoratur: cui nomen dediſſe putatur Buſiris toparcha ab Oſiride conſtitutus. Aliqui verò, Oſirin ab Iſide uxore ibi ſepultum fuiſſe tradunt, ligneæ Bovi incluſum: unde urbs illa Βυσόσιεις nominata fuerit, & contractè Βύσιεις.

Agenor Beli Ægyptiorum Regis frater, Neptuni & Libyæ filius, Cadmum, Phœnicem, & Cilicem mares ex Telephaſſa conjuge dicitur generâſſe, unámque filiam, quæ Europa fuit appellata, ut ſcribit Apollodorus, Bibliothecæ libro tertio.

A. M. 2542. *ante Chriſtum* 1461.
MOSIS 115.

QUinquageſimo poſt Deucalionis diluvium anno Clymenus, ab Idæo Hercule oriundus, è Creta in Græciam veniens, ludos in Olympia fecit, & Herculi Paraſtatæ ſive Adjutori Aram dedicavit. Endymion Aëthlii filius Clymenum poſtea regno exuit. Aëthlius Endymionis pater, primus in Elide regnavit. Pauſan. Eliac. 1.

Protogeneia Deucalionis filia, Locri uxor fuit, qui Locridi regioni nomen dedit. Hujus meminit Heſiodus, apud Strabonem lib. 7.

Ἦτοι γὰρ Λοκρὸς Λελέγων ἡγήσατο λαῶν,

Namque fuit Locrus Lelegum dux populorum.

Pindarus Olymp. 9. Protogenéam τὰν παῖδα Ὀπῦντος dixit, hoc eſt, *Opuntis filiam.* Nam (ut ibi notant Interpretes) Deucalion alio nomine Ὀπῦς fuit appellatus. Cùm autem Locrus Protogeneiæ maritus, ſobolis expers eſſet, uxor ejus ex Jove concepit & peperit Opuntem ſecundum, à quo poſtea urbi Opunti & Locris Opuntiis nomen impoſitum: Unde & urbs ea, apud Lyricum Ode citatâ, ἄστυ Πρωτογενείας, id eſt, *Civitas Protogenéæ*, vocatur. Cujus civitatis initium erant ædiculæ illæ, quas Deucalion poſt diluvium ad radices montis Parnaſſi verſus Orientem condiderat. Ex eadem Protogenéa Jupiter Aëthlium Endymionis patrem genuiſſe fertur. Sic enim ſcribit Apollodorus lib. 1. Θυγάτηρ δὲ (Δευκαλίωνος) Πρωτογένεια· ἀφ' ἧς καὶ Διὸς, Αἴθλιος. Græcis Ὀπέις ſive Ὀπῦς, *ſuccolentum* denotat: nam Ὀπὸς, *ſucus.*

A. M. 2544. *ante Christum* 1459.

MOSIS 117.

TAt, Hermetis Trismegisti filius, hoc tempore floruit, ut notat Eusebius. Qui Græcis Ἑρμῆς, & Latinis Mercurius, is Ægyptiis Thoth, Theuth, sive Thoyth fuit appellatus. Cùm autem plures Mercurii fuerint, omnium illustrissimus evasit ille, qui Argum τὸν Πανόπτην interfecisse dicitur; unde & Ἀργειφόντης Homero vocatur. Argum illum τὸν πολυόφθαλμον, aiunt pastorem fuisse, qui boves Junonis Argivæ in Nemea paverit. Hujus Argi occisor est Mercurius ille, qui Ciceroni quintus dicitur, libro 3. De Natura Deorum: *Quintus* (inquit) *est, quem colunt Pheneatæ, qui Argum dicitur interemisse, ob eámque causam Ægypto præfuisse, atque Ægyptiis leges & literas tradidisse: hunc Ægyptii Thoyth appellant: eodémque nomine Anni primus Mensis apud eos vocatur.* Hunc Ciceronis locum citavit Lactantius, De Falsa Relig. lib. 1. cap. 6. ubi dicit, Mercurium ob Argi cædem in Ægyptum profugisse; ibíque oppidum, quod Græcè vocatur Ἑρμόπολις, condidisse; & ob multarum rerum & artium scientiam, Trismegistum fuisse cognominatum. Porrò, ait, hunc scripsisse libros, & quidem multos, ad cognitionem divinarum rerum pertinentes: in quibus majestatem summi ac singularis Dei asserit: iisdémque nominibus appellat, quibus nos, Deum & Patrem. Ac nè quis nomen ejus requireret, ἀνώνυμον esse dixit; eo quòd nominis proprietate non egeat; ob ipsam scilicet unitatem. Idem Lactantius libro De Ira Dei, cap. 11. *Hermes*, inquit, *quem Cicero ait in numero Deorum apud Ægyptios haberi, ob virtutem, multarúmque artium scientiam Trismegistus nominatus, erat non modò Platone, verùm etiam Pythagorâ septémque illis Sapientibus longè antiquior.*

Antiquissimum Mercurium Osiridi coætaneum faciunt Ægyptii; qui literarum aliarúmq; rerum multarum inventionem ei tribuunt. Osiridis ἱερογλυφικὰ sive notarium Sacrorum fuisse volunt, & Græcos τὰ περὶ τῶν ἑρμηνείαν docuisse, id est, quæ ad elocutionem pertinent: unde & Ἑρμῆς, hoc est, *Enunciator* sive *Interpres*, vocatur, ut ait Diodorus lib. 1. In Platonis Phædro Theuth literas, arithmeticam, geometriam, astronomiam, aliásque artes nonnullas primus invenisse dicitur, & Thamo Ægyptiorum Regi artes à se inventas commonstrâsse.

monstrâsse. Apud Eusebium Præparationis Evang. libro primo, is qui literas primus invenit, Græcis Hermes, Alexandrinis Thoyth, reliquis Ægyptiis Thoth, & Phœnicibus Taat sive Taaut appellatus traditur: Τάαυτος, ὃς εὗρε πρῶτος τῶν περὶ τὰ στοιχεῖα γραφῶν· ὃν Αἰγύπτιοι μὲν Θωὺθ, Ἀλεξανδρεῖς δὲ Θωὺθ, Ἕλληνες δὲ Ἑρμῆν ἐκάλεσαν. Phœnices hoc Mercurii nomen ad Japheti posteros videntur propagâsse. Celtæ, & Hispani aliquam hujus Δαίμονος notitiam habuerunt, quem Teutatem nuncupabant. Apud Livium lib. 26. tumulus quidam in Hispania juxta Novam Carthaginem, Mercurii Teutatis nomen habuisse dicitur. Arnobius lib. 2. Theutatem Ægyptium nominat, qui Syderum motus & rationem genethliacam invenerit. Veteres Galli Mercurium Teutatem coluisse perhibentur: de quo Lucanus libro primo,

Et quibus immitis placatur sanguine diro
Teutates.—

Lactantius lib. 1. cap. 21. *Galli*, inquit, *Hesum atque Theutatem humano cruore placabant.* Quò spectant verba Tertulliani in Apologetico: *Major ætas apud Gallos Mercurio profecatur.* Cæsar De Bello Gallico lib. 6. cùm de humanis apud Gallos victimis egisset, hæc subinfert: *Deum maximè Mercurium colunt: hunc omnium inventorem artium ferunt: hunc viarum atque itinerum Ducem, hunc ad quæstus pecuniæ, mercaturásque, habere vim maximam arbitrantur.*

A. M. 2547. *ante Christum* 1456.
MOSIS 120.

ISraëlitæ, ineunte quadragesimo anno ab Exodo, profecti de Esion-gaber, veniunt in Desertum Tsin mense primo, & commorantur in Kades, Numer. 20. 1. & 33. 36. Hoc nomine Esion-gaber sive Asion-gaber, intelligitur locus ad Sinum Arabicum, ubi Classis regia Solomonis pòst ædificata est. Josepho Ἀπαγγάβειος cum Berenices portu malè confunditur, ut notat Fullerus Miscell. lib. 4. cap. 20. Cades autem locus est in extremis Idumææ finibus, non longè à Petra civitate Arabum. Hoc loco triceſima tertia castra Israëlitarum posita sunt, cùm ante annos 38. ad Cadesbarneam consedissent. Quanquam verò communis est ferè omnium sententia, Cadesbarneam ab hac urbe Kades diversam esse, ac longè dissitam;

ſitam; tamen non eſt incredibile, ut ſuprà ex Andreæ Maſii Commentariis notavimus, locum unum eundémque eſſe, apud nobilem illam urbem Petram. Idque etiam Chaldæus Paraphraſtes opinatus eſt; qui pro utravis Kades, reddidit *Rekem*. Quo nomine ille Petram ipſam (quæ fuit olim inclyta Nabathæorum metropolis) ſignificare voluit. Petram enim *Rekem* vocatam eſſe legimus, de nomine Reguli cujuſdam Madianitarum, qui occiſus eſt ab Iſraëlitis, Num. 31. 8. Cades autem ſive Cades-barnea Petræ fuit confinis, ut docet Euſebius libro De locis Hebraicis.

Maria, quæ Hebræis Miriam appellatur, Moſis & Aaronis ſoror, annum ætatis 126. agens, moritur in Kades, ibíque ſepelitur, Num. 20. 1. Non multo pòſt Iſraëlitæ murmurant, quòd jam deficeret aqua, quæ eos hactenus ſequuta fuerat. Moſes jubetur petram virgâ percutere, & ipſam alloqui coram populo, ut daret aquas. Tulit igitur virgam, & ubi populum congregâſſet, *Audite*, inquit, *rebelles, & increduli; numquid è petra hac educemus vobis aquam?* Quæ verba dubitationem ac diffidentiam præ ſe ferebant: ideóque bis ſaxum feriit. Huc pertinent verba Davidis Pſal. 106. 33. *Vexatus eſt Moſes propter eos: quia exacerbaverunt ſpiritum ejus; & effutiit labiis ſuis.* Temere videlicet effutiit illa verba diffidentiæ & incredulitatis. Cùm enim diceret, *Num poterimus vobis aquam de hac petra elicere?* nonnihil hæſitâſſe videtur Moſes, rebellione populi jam penè fatigatus, & animo perturbatus: percuſſit tamen bis virgâ petram, & egreſſæ ſunt aquæ in maxima copia. Sed Deus ſubiratus Moſi propter hæſitationem, punivit illum eâ pœnâ, ut non introduceret ipſe populum in Terram promiſſionis, ſed moreretur antè quàm tranſiret Jordanem. Sicut autem peccatum hoc Moſi commune fuit cum Aarone fratre, ità etiam Aaron propterea eandem pœnam ſuſtinuit. Uterque enim ſi non dubitârunt de potentia Dei, dubitâſſe tamen videntur de ſucceſſu & effectu, propter incredulitatem populi: unde primâ percuſſione non effluxit aqua è rupe quam feriebant. Utrique igitur denunciat Deus, *Eo quòd non credidiſtis mihi, ut ſanctificaretis me coram filiis Iſraël, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis*, Num. 20. 12.

Ex urbe Kades Moſes, divino oraculo admonitus, nè filios Eſau (qui filiorum Iſraël cognati erant) bello laceſſeret, legatis ad Regem Edom præmiſſis, petit ab eo liberum tranſitum, paratus ipſius arbitrio

arbitrio fidem dare, ſine cujuſquam injuria iter ſe facturum: præterea forum rerum venalium ſuis exhiberi poſcebat, perſoluturus etiam aquæ pretium, ſi Rex ità juberet. Huic orationi legatorum Rex Edom ſurdam aurem præbuit. Quamvis enim antea conceſſerit Iſraëlitis emere cibaria, ut colligi poteſt ex Deut. 2. 29. nunc tamen tranſitum illis dare recuſat. Igitur legatis re infectâ dimiſſis, negatóque tranſitu, armatus cum exercitu eſt obviàm profectus, prohibiturus Moſem ſi vi viam aperire conaretur. Quamobrem Moſes, Deo non permittente ut ipſe pugnæ principium faceret, divertit ab Idumæis, ac retrorſum abduxit Iſraëlitas, per Deſertum iter facturus, Num. 20. Deut. 2.

De Kades profecti Iſraëlitæ caſtrametati ſunt in monte Hor, qui eſt in finibus Terræ Edom. Aſcenditque Aaron in montem Hor juxta præceptum Domini, præmonitus ſcilicet à Moſe, quòd ibi moriturus eſſet. Igitur cùm Moſes & Aaron & Aaronis filius Eleazar in montem conſcendiſſent, ſpectante totâ populi multitudine, Moſes ipſum Aaronem ſpoliavit veſtibus ſuis pontificiis, & Eleazarum eis induit, ad quem videlicet jure ætatis ſucceſſio pertinebat. Itaque mortuus eſt ibi Aaron anno quadrageſimo Egreſſionis filiorum Iſraël de Terra Ægypti, menſe quinto, primâ die menſis, cùm ipſe eſſet annorum centum viginti trium, Num. 20. 22. & 33. 37. Aaronem defunctum populus luxit diebus triginta. Hiſtoriam de Aaronis obitu narrat Joſephus Antiq. libro quarto, cap. 4. Verbis autem ejus duo menda inſunt. Dicit enim, Montem illum, in quo Aaron mortuus eſt, πλησίον χωρίου, ὃ μητρόπολιν αὐτῶν Ἄραβες νενομίκασι, πρότερον μὲν Ἄρκην λεγομένην, Πέτραν δὲ νῦν ὀνομαζομένην· hoc eſt, *Agrum urbis Arabum primariæ clauſiſſe, quæ olim Arce, nunc Petra nominatur.* Illam verò Arabum metropolin *Rekam* ſive *Rekem* olim dictam fuiſſe, modò monuimus. Pro Ἄρκην igitur, Ῥεκὰμ, vel Ῥεκλὶν legendum videtur. Porrò dicit, Aaronem obiiſſe neomeniâ Menſis, qui Athenienſibus ἑκατομβαιών, Macedonibus λῶος, Hebræis *Sabba* dicitur. Sed quinti Menſis nomen apud Judæos non eſt Σαββὰ, ſed *Ab*, vel *Abba*. Ità igitur ſcripſerit Joſephus. Supereſt difficultas, de loco, ubi Aaron mortuus eſt. Nam Deuteronomii cap. 10. com. 6. eum in Moſera obiiſſe legimus. Verba Moſis hæc ſunt, *Filii autem Iſraël moverunt caſtra ex Beroth filiorum Jacan in Moſera, ubi Aaron mortuus & ſepultus eſt.* Apparet, locum, qui

Moſera vocatur, eundem eſſe cum Moſeroth, Num. 33. 30. Diſtabat autem Moſeroth à monte Hor, profectionibus ſeptem. Rabbini quidam, teſte Druſio, Ibi pro Tunc poſitum eſſe volunt. Sed adhuc manet difficultas: non enim tunc mortuus eſt Aaron, dum populus manſit in Moſeroth. Alii, quos citat idem Druſius ad Difficilia Loca Deuteronomii, aſſerunt, montem Hor latiſſimè patere, & ad ejus radicem eſſe Moſera & Moſeroth.

Cananæus rex Arad, qui habitabat ad Meridiem, venit per viam Atharim ſive Exploratorum, ad oppugnandum Iſraëlem; & victor exiſtens, prædam aliquam abducit. Vovent Iſraëlitæ, ſe funditus everſuros urbes ejus, ſi Deus ipſis victoriam concedat. Annuit Deus precibus eorum: denuo pugna committitur: ex voto victores evadunt: urbes Regis Arad ſubvertuntur, & loco illi nomen imponitur *Horma*, id eſt, *anathema*, Num. 21.

Profecti ſunt poſtea filii Iſraël de monte Hor, per viam quæ ducit ad Mare Rubrum, ut circuirent Terram Edom, Num. 21. 4. Poſtquam enim Rex Edom illis tranſitum negâſſet, divertere ab Idumæis coacti ſunt. Cùm igitur prætergreſſi eſſent fratres ſuos, filios Eſau, qui habitabant in Seir, circuitione factâ per viam campeſtrem de Elath & de Aſion-gaber, venerunt ad iter quod ducit in Deſertum Moab, Deut. 2. 8. In hoc itinere populus laboris pertæſus graviter conqueri cœpit, & animos deſpondere. Ibi, cùm loquerentur contra Dominum & Moſem, imò etiam Manna faſtidirent, dicentes, *Anima noſtra jam nauſeat ſuper cibo iſto leviſſimo*; Dominus miſit in populum ignitos ſerpentes. Hebræis id Serpentum genus *Sarap*, id eſt, *Urens*, appellari putatur, quod Græcis πρηστὴς, καύσων & δίψας vocari ſolet; quia morſu ſitim ardentiſſimam inducit. Dipſades in Arabia præcipuè naſcuntur, ut ait Ælianus. In illa ſolitudine magna atque terribili, per quam Iſraëlitæ circumducti ſunt, erat ſerpens flatu adurens, & ſcorpio, ac dipſas, ut legimus Deut. 8. 15. Ubi plurimi homines Serpentum morſibus interfecti ſunt, Moſes Dei juſſu facit Serpentem æneum, & ponit eum ſuper perticam, ut eminus ab omnibus videri poſſet: quem cùm percuſſi aſpicerent, ſanabantur, Num. cap. 21.

Ubi in Deſertum Moab venerunt Iſraëlitæ, Deus præcepit Moſi, nè bellum moveret contra filios Lot, Moabitas ſcilicet, & Ammonitas, Deut. 2. 9, 19. Moabitarum urbs præcipua fuit Ar, quam Græci

Græci Areopolin nominant: alio nomine Rabbath Moab dicta est. Stephani locus corruptus est: Ῥαββαθμωμὰ, πόλις τρίτης Παλαιστίνης, ἥ νῦν Ἀρεόπολις. id est, *Rabath-moma, urbs Tertiæ Palæstinæ, quæ nunc Areopolis.* Tertia Palæstina, est Arabia Petræa, ut notat Ortelius. Moabitæ, postquam Gigantes (qui Emim dicebantur) sedibus expulissent, terram eorum possederunt. Similiter & filii Ammon alios Gigantas exterminârunt, quos Sacra Scriptura Zamzummim vocat, vel Zomzommim. Metropolis filiorum Ammon in sacris literis Rabba, & Rabbath nominatur. Apud Ethnicographum: Ῥαββαταμμανὰ, πόλις τῆς ὀρεινῆς Ἀραβίας. id est, *Rabbath-ammana, urbs Arabiæ Montanæ* sive *Petræa.*

In Deserto Moab est Vallis, sive Torrens Zared; certè à Moabitarum finibus non procul distat, ut colligimus ex Num. 21. 11, 12. Egressi enim Israëlitæ de Oboth, fixêre tentoria in Je-abarim, in solitudine quæ ab Orientali plaga respicit Terram Moab. Et indè moventes, venerunt ad Torrentem Zared. Ejusdem Torrentis iterum mentionem facit Moses Deut. 2. 13. Ibidem additur annorum supputatio: *Tempus*, inquit, *quo ambulavimus de Cades-barne usque ad transitum Torrentis Zared, triginta & octo annorum fuit, donec consumeretur omnis generatio hominum bellatorum de castris, sicut juraverat Deus.*

De Sehone & Og Amorræorum Regibus.

TOrrens Arnon, est terminus dividens Moabitas ab Amorræis, ut scribit Moses Num. cap. 21. 13. Hunc torrentem sive fluvium Josephus Antiq. lib. 4. descripsit, his verbis: Ποταμὸς Ἀρνὼν ὁρμηθεὶς τῆς Ἀραβίας ὀρῶν ὁρμώμενος, καὶ διὰ πάσης ἐρήμου ῥέων, εἰς τὴν Ἀσφαλτίτην λίμνην ἐκδίδωσιν, οὖσαν τῆς τε Μωαβίτιν καὶ Ἀμωρίτιν. id est, *Arnon fluvius ex Arabiæ montibus exortus, & desertum medium pererrans, in Asphaltitem lacum influit, Moabitas ab Amorræis disterminans.* Amorræorum Reges duo trans Jordanem habitabant ad Orientem; unde & in diversas Cananææ partes Coloniæ, ut putat Masius, emissæ fuerunt. Hæc autem gens nomen & originem suam habuit ab Amorræo Canaanis filio, cujus fit mentio Gen. 10. 16. cúmque numerosissimâ prole aucti fuissent, deductis coloniis dispersim & confusè per universam Cananæam habitâsse videntur. Non igitur mirum, si Amorræorum appellatio ad quosvis Cananææ regionis incolas

nonnunquam accommodetur, ut Gen. 15. 16. Horum proceritatem, & robur corporis ſatis declarant verba Prophetæ Amos, cap. 2. 9.

Cùm Iſraëlitæ ad Torrentem Arnon perveniſſent, Moſes legatos ad Sehonem Amorræum (qui trans Jordanem habitabat) miſit, qui tranſitum per regnum ejus peterent. Sehon verò, negato tranſitu, & armato ſuorum exercitu, vada Arnonis occupat, prohibiturus ſi Iſraëlitæ fluvium tranſire conarentur. Moſes, annuente Deo, & victoriam inſuper pollicente, ſuos arma corripere jubet, & pugnandi cupiditatem exatiare. Iſraëlitæ, prælio victis hoſtibus, ipſóque rege Sehone cæſo, terram eam occupant, inter tres amnes (ut Joſephus deſcribit) Inſulæ modo ſitam. Nam Arnonis ripa meridionale Regionis latus terminat; Jaboc verò, Septentrionale; qui in Jordanem influens, nomen amittit: Occidentalis tractus ipſo Jordane amne alluitur. Ab Oriente cingitur montibus Arabiæ. De hac Iſraëlis victoria agit Moſes Numer. 21. & Deut. 11. Meminit & Pſaltes Pſal. 135, & 136. Præcipua urbs Sehonis erat Heſebon: unde & ipſe Heſebone regnâſſe dicitur, Deut. 2. 30. & 3. 6. Joſ. 13. 27. Judic. 11. 19. Fuerat autem Heſebon olim in ditione Moabitarum: ſed Sehon eam regi Moab eripuerat. Notat Maſius, pleraſque regni Sehonis urbes fuiſſe olim Moabitarum. Quare non eſt, quòd miretur, qui eas audiet à ſacris Vatibus in Moabitide collocari. Amorræi enim, avito aliquo jure freti, illas Moabitis eripuerant: alioqui Iſraëlitis fas non fuiſſet urbes eas occupare, cùm juſſi eſſent abſtinere à Moabitarum propriis terris. Vide Numer. cap. 21. 26, 27, &c.

Iſraëlitis aſcendentibus per viam Baſan occurrit Og rex Baſan pugnaturus in Edrai. Dixítque Dominus ad Moſem, *Nè timeas eum: quia in manum tuam tradidi illum, & omnem populum ac terram ejus.* Percuſſerunt igitur eum Iſraëlitæ, & univerſum populum ejus uſque ad internecionem, vaſtârúntque omnem Regionem Argob, id eſt, Trachonitidem, in qua erant urbes ſexaginta: non fuit oppidum quod eos effugeret, Num. 21. 33. Deut. 3. 1. Regionem Baſan, quæ fuit uberrimo ſolo & potiſſimùm paſcuis læta, Chaldæus Interpres ubique vocat *Mathanan*, litera ב pro ב poſita, ut obſervat Maſius. Certè Batanæa Ptolemæo appellatur.

Og rex Baſan ſolus reſtiterat de ſtirpe Gigantum, ſive Rephaim.

phaim. Lectus ejus ferreus, hoc eſt Sponda, in Rabbath filiorum Ammon viſebatur, cujus latitudo quatuor cubitos habuit, longitudo novem cubitos, ut legimus Deuteronomii capite tertio. Porrò, quod de hoc viro memoratur, eum ſcilicet fuiſſe ex Gigantum reliquiis, id nonnulli ſpectare opinati ſunt ad Abrahami tempora, quibus Chodorlaomer Rex & ſocii profligârunt Rephaim, aliáq; id genus monſtra hominum, ad Aſtaroth Carnaim, Gen. 14. 5. Qua de re ſic ſcribit Maſius ad Joſuë cap. 12. Equidem etſi negare nolim, ex illorum gigantum ſtirpe fuiſſe iſtum Og; tamen quòd reliquus fuiſſe dicitur, id ſpectare potiùs autumo ad eam cladem, quæ ab Ammonitis, longo pòſt intervallo (ut apparet) monſtroſo illi hominum generi (cùm denuo in illis majorum ſuorum ſedibus conſediſſent) eſt illata, ſicut proditum eſt in Deuteronomio, cap. 2. 21. Id enim certè ſignificare videtur lectus ille ferreus, quem Ammonitæ etiamnum oſtentabant in ſua Rabba, ut illuſtris victoriæ de Gigantibus partæ monimentum: cùm Og fortaſſis ad vicinos Amorræos eſſet elapſus, atque ob ſingulare corporis robur & præſtantiam, ab his in regem creatus. *Rephaim* (quod vocabulum 70 interpretes & Chaldæus, *Gigantes* interpretantur) Hevæorum cognomen fuiſſe exiſtimant nonnulli. Nam cùm Hevæi à Serpentibus dicti ſint, qui in terræ cavernis habitant; rectè appellantur iidem, Rephaim; quaſi Inferos dicas, & ſub terra agentes.

Manſio ultima Iſraëlitarum in Campeſtribus Moab.

ISraëlitæ profecti de montibus Abarim, caſtrametantur in Campeſtribus Moab, ſive in Campis Moabiticis. Planities hæc fuit, à Jordanis & Arnonis oſtiis, quibus iſti fluvii in Aſphaltiten intrant, longè per Sehonis regnum porrecta, inter Jordanem ab Occidente, & montes Arabicos Abarim, Nebo, Phaſga, ab Oriente: quam planitiem olim Moabitæ occupârant, priuſquam ab Amorræis pulſi trans Arnonem ceſſiſſent. In iſtis campis Moabiticis (ſic enim ea Planities vocata eſt, quia Moabitæ olim eam habuerunt) poſtrema, quæ Moſes fecit, caſtra explicabantur, à Beth-jeſimoth uſque ad Abel-Sittim, Num. 33. 48, 49. B. Hieronymus ad Michææ cap. 6. notat, Sittim (qui aliàs Settim & Sattim effertur) eſſe locum cognominem arboribus illis Sacrâ hiſtoriâ celebratis, ex quibus tabulata cædebantur materie firmiſſimâ, & incredibilis lævitatis

vitatis pulchritudiníque. Ab illo igitur arborum genere, quæ per Solitudinem Arabiæ naſcebantur, Abel Sittim (id eſt, Planities Sittim) nominatus fuerit iſte locus, ad quem uſq; pertinebant Caſtra, quæ ultimâ manſione facta à Moſe fuêre in Campis Moabiticis: abfuítque à Jordane, ut ait Joſephus, lib. 5. cap. 1. ſtadiorum ſexaginta intervallo.

Balacus Moabitarum rex cùm audiſſet omnia quæ Filii Iſraël Amorræis fecerant, & ſe viribus inferiorem eſſe animadverteret, magicis artibus enervari poſſe hoſtem putavit. Quare legatos ſuos unà cum magnatibus Madianitarum miſit ad Balaam ariolum, orantes, ut veniret ad maledicendum populo Iſraël. Madianitæ, quos credibile eſt præ cæteris illarum regionum nationibus ſingulari induſtriâ excelluiſſe in rebus tractandis, auxilium Sehoni tulerant adverſus Iſraëlitas, ut ex Joſ. cap. 13. 21. colligitur. His igitur Balac conſiliariis, & allegatis uſus eſt in conducendo ariolo Balaamo. Qui tamen à Deo prohibitus maledicere, Iſraëlitis benedixit potiùs, & mira quædam de illorum futura proſperitate prædixit. Idem verò ariolus, cùm non potuiſſet populo Dei maledicere, ut optabat, conſilium dedit Regi Balaco, ut ſi nocere Hebræis vellet, eleganti formâ mulieres mitteret, quæ eos amore captos ad ſuos deos colendos allicerent. Hiſtoria pleniùs narratur, Num. 22, 23, & 24. Eadem paucis commemoratur, Deut. 23. 4, 5. & Joſ. 24. 9, 10.

Dum morabantur Iſraëlitæ in Sittim, cœpit populus ſcortari cum filiabus Moab. Neque tantùm Moabitæ, ſed & eis confines Madianitæ fœminas ſuas proſtituebant, quæ blanditiis Iſraëlitas ad impios cultus pellicerent. Hæ vocaverunt populum ad Sacrificia Deorum ſuorum: Et initiatus eſt Iſraël בעל Beel-Phegor: id eſt, Relicto cultu veri Dei, ſecutus eſt populus Iſraël cultum Idoli quod colebatur in monte Phegor. Eſt enim Phegor ſive Peor nomen montis, Num. 23. 28. Sonat igitur Beel-Phegor ſive Baal-Peor, ut ſi dicas, Jupiter Phegorius. Hinc iratus Deus juſſit ſuſpendi in patibulis omnes Principes populi. Sed cùm Phinees Eleazari filius, Aaronis nepos, zelo Dei ductus, occidiſſet unum de filiis Iſraël unà cum muliere Madianitide in ipſo actu fornicationis, placatus fuit Deus, & ſic ceſſavit ſtrages inchoata, poſtquam occiſi ſunt viginti quatuor millia hominum. Hiſtoriam habes Numerorum Capite 25. Quam Pſaltes quoque attingit, Pſal. 106. 28. & Apoſtolus Paulus, 1. Cor. 10. 8.

Madiani-

Madianitarum mulieres in castra Israëlitarum fuisse submissas ex suggestione Balaam, indicant Mosis verba, ejusdem Libri Capite 31.15,16. Unde & Apoc.2.14. Balaam dicitur docuisse Balacum mittere scandalū coram filiis Israel. Illud Moabitarum idolum Bel-Phegor alio nomine Chamos fuit appellatum, ut ait B. Hieronymus.

Moses ex Dei mandato iterum populi Israëlitici censum agit in campestribus Moab. Intra annos quadraginta tota militaris ætas perierat, ità ut ex 603 millibus duo tantùm homines manserint superstites, Caleb & Josua. Veruntamen continuâ sobole ità renovatus est populus, ut post exactum tempus æquarent ferè posteri numerum priorem. In Deserto Sinai numerabantur (præter Levitas) 603 millia, & quingenti quinquaginta. Hoc autem tempore 601 millia, & septingenti triginta, qui vigesimum ætatis annum excesserant, recensentur, Num.26.

Madianitarum Clades.

MAdianitæ, ut diximus, ad perdendum Dei populum conspirârant. Eam ob rem Moses Dei jussu ad Madianitas puniendos exercitum duodecim millium mittit: atque his copiis præficit Phinees Eleazari Sacerdotis filium. Conserto prælio, ingens multitudo Madianitarum est cæsa, nè Regibus quidem servatis. Omnes enim mares trucidârunt Israëlitæ: Balaam quoque filium Beor, interfecerunt gladio: mulieres verò captivas duxerunt, & parvulos; omniáque pecora Madianitarum, & cunctam supellectilem diripuerunt. Porrò captivæ mulieres jussu Mosis interficiuntur, quæ nimirum Israëlitas consilio Balaami deceperant: virgines tamen reservantur. Præda ex æquo dividitur omnibus. Vide Num. cap.31.

De Balaamo.

IN Clade Madianitarum ipse Balaam ariolus interemptus legitur tum Numerorum cap.31. tum Jos.13.22. De quo sic scribit Masius in suis ad Josuæ librum doctissimis Commentariis: *Quamvis haud expers cognitionis veri Dei fuisse Balaam videri possit; & rerum omnium eventum ex hujus solius nutu pendère, agnovisse; nulla etiam visa divina oracula, de statu populi Dei, aliarúmque Gentium, déque regno Davidis & Christi, ediderit, tanquam sacer aliquis vates: tamen si quis universam historiam præsiùs attingat; dicta, facta illius omnia excutiat;*

profectò

profectò intelliget, turpi ambitione eum, atque avaritiâ plenum fuisse: & à proborum vatum numero quàm longissimè esse submovendum; etsi in oraculis edendis Dei fuisse organam fatemur. Paulo pòst, *Balaam, Caiphas, hujúsque conditionis alii,* inquit, *quibus quamvìs vitiosis instrumentis Deus ad suæ Ecclesiæ utilitatem aliquando uti dignatus est, divinorum consiliorum rudes atque expertes homines, non aliter atque si mente moti fuissent, dederunt sine mente sonos, ut Poëtæ verbis utar. Eructavit,* inquit sacer Vates, *cor meum verbum bonum.* At Balaam nihil se in corde, sed ore duntaxat tenus oracula, quæ fundit, concepisse ipsus fatetur.

De patria Balaami, hæc ibidem subtexit Masius: *Mirum videtur, quî potuerit ille in Madianitarum clade occisus dici: quando paulò antè ab Rege Balac explosus reverterat ad locum suum, ut narrant Sacræ literæ: qui locus toto cælo à Madianitarum regione (in qua pugnatum fuit) dissitus existimatur. Nam Aramæum se esse, & indè ex montibus Orientis usque excitum à Balac, jactitat: Et habitavisse ipsum in Pethor, apud Flumen, attestatur Sacra historia. Flumen autem illud esse Euphratem, tum Chaldæus, tum Josephus censent;* καὶ Ἐξοχὴν *scilicet. Sed alii probabilius opinantur, Balaam fuisse Madianitam. Longiùs enim à Moabitide Euphratem fluere, quàm ut credibile sit, per tantum loci intervallum famam vaticinandi artis istius homunculi percrebuisse apud Madianitas: nedum ut ad procurandum malum præsentissimum, bis ab eis tam longè evocaretur. Et profectò me parùm movet, quòd Aramæum se ipse vocat, atque à montibus Orientis accitum gloriatur. Nam (ut solet hoc hominum genus, quò imperitæ multitudini imponat faciliùs, jactare se magnificentissimè) credi potest, eum se Chaldæum prædicâsse, quia hujus gentis divinatio semper apud omnes fuit celeberrima. Jam verò de Euphrate quod dictum est, fateor equidem, Fluminis nomine, cùm per se positum est, per antonomasian, Euphratem interdum significari: verùm ille non præcisè apud Flumen, sed apud Flumen popularium suorum, scribitur habitâsse.* Hæc ille. A quo dissentit Drusius, Commentario ad Loca Difficilia Numerorum, cap. 96. *Pronomen in Ammò,* inquit, *referri debet ad Balaamum, cujus populares erant Mesopotameni habitantes ad Euphratem: nam indè oriundus erat.* Ibidem notat errorem Latini Interpretis, qui pro Ammò, Ammon reddidit; quasi Balaam dicatur super flumen terræ filiorum Ammon habitâsse. Verba Mosis, Deut. 23. 4. non sinunt nos ampliùs de patria Balaami dubitare. Sic

enim

enim ſcribit, *Conduxerunt contra te Balaam filium Beor de Pethor Aram Naharaim*, id eſt, de Meſopotamia Syriæ. Pethor locus fuit prope Euphratem, ut ait Schindlerus, ubi natus fuit & habitavit Balaam. Benjamin in Itinerario: *Baliz, quondam Pethora, juxta Euphratem fluvium, ubi in hodiernum uſque diem, manet Turris Balaam filii Beor.* In ſecunda B. Petri Epiſtola, pater Balaami non *Beor* ſed *Boſor* nominatur, juxta Chaldaicam videlicet dialectum versâ literâ ע in S. Vocabulum *Pethor*, *Ariolum* vertit Latinus Interpres, Num. 22.5. Accepit enim pro appellativo, à *Pathar*, quod eſt interpretari, vel exponere ſomnia. Scriptura Balaamum vocat *Hakoſem*, id eſt, *ariolum* ſive *divinum*, Joſ. 13.22. Quo loco Græci μάντιν reddiderunt: quod quidem nomen non ſolet Dei Prophetis attribui. Eum tamen B. Petrus προφήτην appellat, non reprehendens in eo falſum cultum, ſed avaritiam. Hebræi Doctores aliqui, citante Joh. Druſio, tradunt, Balaam initio fuiſſe prophetam, poſtea factum eſſe divinum. B. Hieronymus Quæſtionibus Hebraicis, ubi agit de filiis quos Melcha Nachori peperit, *Secundus* (inquit) *natus eſt de Melcha Buz: & ex hujus genere eſt Balaam ille Divinus, ut Hebræi tradunt: qui in libro Job, dicitur Elihu, primùm vir ſanctus & prophetes Dei: poſtea per inobedientiam & deſiderium munerum, dum Iſraël maledicere cupit, Divini vocabulo nuncupatur.*

De morte Balaami ſic ſcribit Druſius libro citato, cap. 125. *Sunt qui opinantur* (ipſum) *cùm domum rediret, in itinere occiſum fuiſſe. Nam & iter faciendum erat per regionem Madian.* Sed hoc refelli poteſt ex Num. 24.25. Nam ibi legimus, *Surrexit Balaam & abiit, reverſúſque eſt in locum ſuum*, hoc eſt, in domum aut in urbem ſuam. Credibilius ergò, quod alii annotârunt, ipſum, cùm domi eſſet, & audiſſet cladem quam accepiſſent Iſraëlitæ, rediſſe in Madian, ut ibi mercedem reportaret conſilii, quod dederat ipſis: nam res ex ſententia ſucceſſerat. Dum hoc ageret, intervenit prælium iſtud, cui etiam interfuit, & unà cum reliquis occiſus fuit. Hinc eliciunt, non fuiſſe prophetam Dei; nam aliàs non occidiſſent eum. Apparet verum eſſe quod Hieronymus obſervavit, initio fuiſſe prophetam, ſuper quem Spiritus Dei reſidebat, dum ea vaticinatur quæ Spiritus ei ſuggerebat: poſtea cùm ad munera declinaret, & Madianitis peſſimum conſilium daret, factus eſt divinus & propheta Satanæ: munera enim excæcant oculos Sapientum. Hactenus ille.

Possessio Reubenitarum, Gaditarum & Manassensium.

REubenitis & Gaditis peculium admodum grande fuit, quod constabat pecoribus. Hi igitur, πλῆθει τετραπόδων ἀδυνατοῦντες, ut loquitur Josephus, de communi consilio rogant Mosem, ut sibi extra sortem tradat Amoritidem sive Terram illam Amorræorum nuper bello acquisitam: esse enim pascuis uberem illam terram, adeóq; alendis pecoribus, quibus abundabant, peraccommodam. Moses verò suspicatus eos prælia contra Cananæos metu detrectare, & curam pecudum suæ ignaviæ prætexere, viros acriter objurgat. Qui videntes eum iratum, nè meritò irasci videretur, respondent, Se neque per ignaviam pericula, neque per desidiam labores fugere; sed hoc tantùm agere, ut prædâ in locis commodis relictâ, expeditiores ad certamina fierent: paratósque se aiebant, si oppida ad tutelam liberorum & conjugum ac facultatum ipso dante acciperent, reliquum exercitum armatos quocunque ducerentur sequi, & communibus militare auspiciis. Tum Moses, comprobatâ eorum voluntate, advocatóque Eleazaro Pontifice & Josuâ cæterísq; magistratibus, concedit illis Amoritidem hac conditione, ut simul cum cognato populo adversus communem Hostem bellum gerant, donec omnia ex sententia confecta fuerint. Vide Num. 32. Deut. 3. Jos. 4. 12. & 13. 8. & 22. 4.

Dimidiæ quoque Tribui Manassis Moses possessiones sedésque assignavit trans Jordanem ad Orientem. Incertum verò est, an Manassenses unà cum Reubenitis & Gaditis fuerint candidati. Abenezra quidem existimat, eos simul flagitavisse hanc hæreditatem: verùm, quia dimidiata modò Tribus essent, nullam esse factam Petitionis ipsorum mentionem. Alii putant, Machiris virtuti hoc præmium à Mose delatum ultrò esse, cùm simul Reubenitis & Gaditis, quod ambiebant, concederet: ídque propterea, quia intelligebat, singularem fuisse in debellando Og, Manassensium fortitudinem; & tam ampla duo Regna à solis duabus tribubus neque tota occupari, neq; satis adversus Barbarorum incursiones defendi posse. Porrò, admodum verisimile est, quod & adnotavit Andreas Masius, ea loca, quæ Havoth-Jair dicebantur, tum demum propriâ Jairis virtute expugnata paulatim esse, postquam Manassensibus superior regni Og pars universè permissa fuisset à Mose. Nequis autem miretur, quî factum

ctum sit, ut Jair totas saxaginta urbes adipiscatur in Manassensium hæreditate, cùm tamen ipse non ex Tribu Manassis fuerit, sed ex Tribu Juda: meminisse oportet, quod & suprà monuimus ad Annum 2355. Jairum virum fortissimum (qui Segubi filius erat, Hesronísque nepos) Manassenses secutum esse, quòd Hesron ex Manassensis Machiris filia Segubum genuisset, ut legimus, 1 Paralip. 2. 21. Ob quam causam ipse Jair Manassis filius appellatur Num. 32. 41. Machir Manassis filius, Josephi nepos (qui est Segubi avus maternus) vir fuit celeberrimus; de quo vide Genes. cap. ult. 23. Num. 32. 29. Jos. 13. 31. De Jairi fortitudine legatur, Deut. 3. 14. Ejusdem nominis est unus Judicum, cap. 10. 3.

Legis repetitio.

EXeunte quadragesimo anno ab Exodo, Mensis undecimi (qui est Schebat) die primo, Moses breviter gesta quædam recenset, & Legem de integro promulgat, quò propensior ad obsequium esset populus, qui jam tandem Terræ Promissæ limen attigerat. Nimirum quia tunc quasi cum nova gente erat negotium, placuit Deo Fœdus suum sub Terræ ingressum renovare, additâ luculentâ Legis explicatione, quam Liber Deuteronomii complectitur.

Victis Amorræis, Israëlitarum duæ Tribus & dimidia sedem adeptæ erant ac domicilium, reliquis autem certa possessio ante oculos erat subjecta. Igitur Moses commemoratis Dei in Israëlitas beneficiis & mandatorum memoriâ renovatâ, populum hortatus ad obedientiam, componit se ad mortem. *Ego*, inquit, *hodie sum centum viginti annorum, nec possum ultrà egredi & ingredi: præsertim cùm & Dominus dixerit mihi, Non transibis Jordanem istum*, Deut. 31. 2.

De morte & sepultura Mosis.

MOses annos 120 natus, quanquam adhuc corpore & animo vegetus esset, sensibus integris, tamen sentiens sibi paucas post horas moriendum esse, ultimum vale populo dixit, postquam Canticum jubente Deo composuisset de futura Israëlitarum idololatria & afflictionibus. Josua Nunis filius solenni ritu sufficitur in locum Mosis, & Dux populi constituitur. Ipse Moses paulò antè quàm moreretur, singulis Tribubus Israël benedicit. Vide Deut. 31, 32, 33.

Mortuus est Moses, postquam ascendisset in montem Nebo. Est autem Nebo, pars montis Abarim. Ejus vertex dicitur Phasga, qua parte respicit Jericho: Ejusdem montis pars, quæ Terram Moab respicit, Gai appellatur. Dixerat enim Deus ad Mosem, *Ascende in montem istum Abarim, in montem Nebo, qui est in Terra Moab contra Jericho: & vide Terram Chanaan, quam ego tradam filiis Israël obtinendam, & morere in monte,* Deut. 32.49. *Ascendit ergò Moses de campestribus Moab super montem Nebo, in verticem Phasga contra Jericho: ostenditque ei Dominus omnem Terram Promissionis: Dixitque ad eum, Hæc est Terra, de qua juravi Abrahæ, Isaaco & Jacobo, dicens, Semini tuo dabo eam. Vidisti eam oculis tuis, & non transibis ad eam. Mortuúsque est ibi Moses servus Domini in Terra Moab, jubente Domino: & sepelivit eum in Gai* (hoc est, in valle) *Terræ Moab, è regione Beth-Peor: & non cognovit homo sepulcrum ejus usque in præsentem diem.* Deut. 34.

Mosi morituro adfuisse Josuam & Eleazarum, tradit Josephus Antiq. lib. 4. *Solus Senatus eum deduxit,* inquit, *& Pontifex Eleazarus, & Imperator Jesus. Ut verò in monte Abari vocato constitit, qui celsus è regione Hierichuntis attollitur, & conscendentibus latè Chananæ terræ prospectum exhibet, Senatum dimisit. Cúmque post mutuos complexus Eleazaro ac Jesu ultimum Vale diceret, inter loquendum repentinâ nube circundatus* ἀφανίζεται κατ' αὐτοῦ φάραγγος, id est, *ex oculis eorum in quandam vallem est ablatus. In sacris autem voluminibus scripsit se mortuum, veritus nè propter excellentem ejus virtutem à Deo raptum prædicarent. Vitæ ejus tempus universum centum viginti annorum fuit, cujus tertiam partem in imperio exegit, uno mense minus: mortuúsque est ultimo Anni mense, die primâ mensis qui à Macedonibus Dystrus dicitur, à nostris verò Adar.* Hæc ille. Judæi in Chronologia sua Majore, notant, Mosem septimo die mensis Adar natum, & eodem esse mortuum.

De corpore Mosis fuisse altercationem sive disputationem inter Michaëlem archangelum & Diabolum, docemur ex Epistola B. Judæ. Ad quem locum Oecumenius: Λέγεται (inquit) ὁ Μιχαὴλ ὁ ἀρχάγγελον τῆς τοῦ Μωυσέως ταφῆς διακονήσαι, &c. Hoc est, *Dicitur Michaël Archangelus ministerium præstitisse in sepeliendo Mose: id non ferebat Diabolus; sed accusationem afferebat, propter eadem Ægyptii, quasi Moses ipsius esset: & propterea non permittebat ut ille honorificam conse-*

queretur

queretur ſepulturam. Cæteri verò Interpretes ſcribunt, Satanam noluiſſe occultari Sepulcrum Moſis, ut populum in idololatriam pelliceret. Guilielmus Eſtius, Commentario in Beati Judæ Epiſtolam: *Quod dicitur,* Deut.34.6. *SEPELIVIT EUM* (Dominus) *IN VALLE TERRÆ MOAB, factum intellige miniſterio Michaëlis archangeli; qui ductor erat populi per Deſertum, & introductor in Terram promiſſam; quique toties Domini perſonam repræſentans, cum Moyſe collocutus fuerat facie ad faciem, ſicut ſolet loqui homo ad amicum ſuum: ut proinde officium ſepulturæ, Moyſi tanquam amico ſuo, videri poſſit exhibuiſſe. Sic autem ſepelivit, ut hominibus incognitum maneret ejus ſepulcrum.* Cujus facti rationem hanc reddunt Interpretes, eámque meo judicio veriſſimam, nè populus Iſraëliticus, qui ad idololatriam valde propenſus erat, corpori Moyſis, tanti Prophetæ, tam clari ſignis & prodigiis, & per quem tanta beneficia acceperat, divinos honores impenderet. Hoc quippe Diaboli ſtudium erat, obſtrepentis occultationi ſepulcri, & ex adverſo contendentis (quaſi qui pro honore Moyſis ſollicitus eſſet) tanti viri ſepulcrum celebre apud homines ac venerabile eſſe debere.

Moſaicorum *FINIS.*

Annorum ab Abrahami nativitate ad ejus obitum Tabula CHRONOLOGICA.

Mundi Anno	Sem.	Arphax.	Sale.	Eberi.	Regi.	Sarugi.	Thare.	Abrahæ.		
2007	449	349	314	284	220	188	129	Abram naſcitur.		
2017	459	359	324	294	230	198	139	10	Sara naſcitur.	
2026	468	368	333	303	239	207	148	19	9	Reu moritur.
2049	491	391	356	326		230	171	42	32	Sarug moritur.
2077	519	419	384	354			199	70	60	Promiſſiones.
2083	525	425	390	360			205	76	66	Thare moritur.
2094	536	436	401	371				87	77	Iſmaël naſcitur.
2096	538	438	403	373				89	79	3 Arphaxad moritur.
2106	548		413	383				99	89	13 Circumciſio.
2107	549		414	384				100	90	14 Sodomæ everſio.
2108	550		415	385				101	91	15 Iſaac naſcitur.
2126	568		433	403				119	109	33 18 Sala moritur.
2145	587			422				138	128	52 37 Sara moritur.
2148	590			425				141		55 40 Iſaac ducit uxorem.
2149	591			426				142		56 41 Inachus regnat.
2160	602			437				153		67 52 Sem moritur.
2168				445				161		75 60 Jacob naſcitur.
2182				459				175		89 74 15 Abraham moritur.
2187				464						94 79 20 Eberus moritur.

Annorum à morte Abrahæ & Eberi ad Moſis obitum Tabula CHRONOLOGICA.

Anno Mundi 2182. *Abraham obiit.*
Anno Mundi 2187. *Eberus obiit.*

Annus Mundi.	Iſmaël.	Iſaaci.	Jacobi.		
2199	106	91	32	Phoroneus Argis regnat.	
2208	115	100	41	Eſau Iſaaci F. uxorem ducit.	
2230	137	122	63	Iſmaël Abrahami F. moritur.	
2246		138	79	Jacobus fratri præripit Benedictionem.	
2253		145	86	Jacobus in Meſopotamia uxorem ducit.	
2254		146	87	Reuben Jacobi F. naſcitur.	
2260		152	93	Joſeph Jacobi F. naſcitur & Dina filia. Apis Argis regnat.	
2266		158	99	7	Jacob redit è Meſopotamia.
2276		168	109	17	Dina rapitur. Rachel moritur. Joſeph venditur.
2287		179	120	27	Iſaac Abrahæ F. moritur.
2290			123	31	Manaſſes Joſephi F. & Caath Levi F. naſcitur.
2294			127	35	Argus Argis regnat.
2298			131	39	Jacob in Ægyptum deſcendit.
2315			147	56	Jacob in Ægypto moritur.
2350				94	Amram Caathi F. naſcitur.
2367				110	18 Joſeph moritur.
2393					44 Levi patriarcha moritur.
2422					73 Caath moritur. Miriam naſcitur.
2425					76 Aaron Amrami F. naſcitur.
2428					79 Moſes Amrami F. naſcitur.
2486					137 59 Amram moritur.
2492					65 Diluvium Deucalioneum.
2508					81 Exodus Iſraëlitarum ex Ægypto.
2547					120 Moſes moritur.

Stemmata

Stemmata sive Genealogiæ,

& Regum Successiones, quæ ad primam Chronici partem pertinent.

INACHI Progenies

juxta Apollodorum:

INACHUS.

Io *prima.*

Phoroneus.

Ægialeus.

Niobe *filia.*

Apis, *sine prole.*

Argus.

Epidaurus.

Pelasgus.

Piranthus.

Criasus.

Iasus.

Lycaon.

Callithyia.

Agenor.

Æmon, *à quo regio Æmonia & Pelasgia dicta, quæ post Thessalia à Thessalo Herculis filio.*

Nyctimus *& alii filii 49.*

Argus ὁ Πανόπτης.

Callisto *filia.*

Iasus *alter,* Argi *&* Hmenæ *filius*

Arcas, *qui Arcadiæ nomen dedit, quæ priùs fuerat Pelasgia nuncupata.*

Io *secunda.*

Epaphus.

Libya Epaphi *filia.*

Agenor.

Belus.

Ægyptus.

Danaus.

juxta Pausaniam:

INACHUS.

Phoroneus.

Niobe.

Argus.

Peirasus.

Phorbas.

Triopas.

Agenor.

Iasus.

Crotopus.

Io.

Sthenelas.

Gelanor, *à Danao pulsus.*

IAPETI

IAPETI Progenies.

Iapetus.

- Atlas *septem procreavit filias, quæ Pleiades appellantur:*
  - Electra Atlantis *filia, vel neptis,*
    - Iasion,
    - Dardanus.
- Prometheus.
  - Deucalion.
    - Hellen.
      - Dorus.
      - Æolus.
      - Xuthus.
      - Amphictyon.
    - Pyrrha, Deucalionis *uxor.*
- Epimetheus.
  - Protogenia *filia.*
    - Opûs, *qui Opuntem condidit.*
    - Aëthlius *uxorem habuit* Calycen Æoli *filiam.*
      - Endymion.

Regum Successiones.

Assyriorum Reges:

1 *Belus (qui & Nemrod) regnavit annos* 60.
2 *Ninus, annos* 50.
3 *Semiramis* 42.
4 *Ninyas: cujus Successores usque ad Sardanapalum recenset, nominibus tamen depravatis, Eusebius Cæsariensis.*

Argivorum Reges:

1 *Inachus annos* 50.
2 *Phoroneus* 60.
3 *Apis* 34.
4 *Argus* 70.
5 *Criasus* 54.
6 *Phorbas* 35.
7 *Triopas* 46.

Iasus Triopæ filius.

8 *Crotopus* 21.
9 *Sthenelas* 11.
10 *Gelanor: quem Danaus regno expulit.*

Ægyptiorum Reges:

Osiris, qui putatur esse Mesraim.
Orus. { *Osymandyas.*
Menas. { *Uchoreus.*
Amosis regnavit annos 25.
Chebros, annos 13.
Amenophis Primus 21.
Amesses regina 21.
Mephres 12.
Mephramuthosis 26.
Thuthmosis 9.
Amenophis Secundus 31.
Orus alter 38.
Acenchres 12.
Achoris 7.
Cenchres 18.
Hic in Mari Rubro demersus periit.

Athenienſium Reges:

1 *Cecrops, annos* 50.
2 *Cranaus* 9.
3 *Amphictyon* 10.
4 *Erichthonius* 50.

In

In Primam Chronici Partem Index Alphabeticus.

Numerus Annum Mundi denotat.

A

Aaron *Amrami filius nascitur* 2425. *moritur* 2547
Abarim, *mons* 2547
Abelis *sacrificium* 129
Abel *quo anno occisus* 130
Abimelech *rex Saram aufert Abramo* 2107. *Fœdus init cum Abramo* 2110
Abimelech *alter Rebeccam Isaaci uxorem esse deprehendit* 2208
Abimelech *nomen commune regum Palæstinæ*, ibid.
Abraham *quo anno natus*, 1988, & 2007
Abraham *Christi Diem vidit*, 2007. *ex Ur Chaldæorum discessit*, ibid. *in Cananæam venit* 2083. *quàm diu Charris moratus*, ibid. *Sichimis habitat*, ibid. *in Ægyptum descendit* 2085. *redit in Cananæam*, 2086. *Promissionem ei renovat Deus* 2087. *Cananæam perlustrat* 2088. *ad Hebronis quercetum figit tentoria* 2089. *quatuor Reges profligat* 2091. *cum eo Fœdus sancit Deus* 2092. *nomen ei mutatur* 2107. *circumciditur*, ibid. *tres Angelos excipit*, ibid. *Filium suum Deo immolare jussus, paret* 2144. *uxorem ducit Cetura* 2182. *moritur*, ibid.
Abrahami *progenies numerosissima* 2182
Acad, *urbs Nemrodi* 1757
Acenchres *Ægypti rex* 2471
Achoris, *Ægypti rex* 2471
Actæus, *Cecropis socer* 2495
Ada *Lamechi uxor* 129
Adam *peccat*, 1. *moritur* 930
Adma *urbs evertitur* 2107
Ægialeus *Sicyone regnat* 1915
Ægialeus *Inachi filius* 2149 *annis obit* 2199
Ægialea, *Peloponn. pars*, ibid.
Ægypti *fertilitas, unde* 2295
Ægyptus *an Nili donum* 2522
Æneus *Serpens* 2547
Ægyptus, *Danai frater* 2522
Ægyptus, *Nili nomen*, ibid.
Æoles *unde orti* 1757
Æthiopiæ *conflagratio* 2492
Æthiopes *Orientales* 1757, & 2509.
Æthlius *Endymionis pater* 2500
Africa, *vid.* Aphrica.
Agar *ancilla datur Abramo*, 2093. *Ismaëlem parit* 2094
Agareni *unde dicti* 2093
Agenor *Argivus* 2294
Agenor, *Cadmi pater* 2523, & 2534.
Agraulos, *Cecropis uxor* 2495
Aholibama, *Esaui uxor* 2208
Alalcomenia, *Minervæ nutrix* 2244
Amalec *Esaui N.* 2508
Amalecitarum *contra Israëlitas prælium*, ibid.
Amazonium 2495
Amenophis, *primus Ægypti rex*, 2312
Amenophis *alter* 2402
Amesses, *Æg. regina* 2333
Ammon, *pater Ammonitarum* 2107
Ammon *Jupiter*, *vid.* Hammon.
Amosis, *Ægypti rex* 2274. *moritur* 2299
Amorrhæi, *gens procera* 1757, & 2547.
Amphictyon *Deucalionis filius* 2500. *Athenis regnat*, 2508.
Amphictyones 2508
Amram *Mosis pater* 2350. *moritur* 2486
Amraphel, *rex* 2090
Amyclas *Lacedæmonis filius*, 2518
Ana, *mulorum inventor* 2108
Andania, *urbs* 2518
Annorum *numerus à Creatione ad Diluvium* 1656
Annorum *à Prima Promissione Abramo facta, ad Exodum, computatio* 2508
Antæus, *gigas Libycus* 2430
Antiphus *Thessali filius* 2500
Aones 2144
Aphidas *Arcadis filius* 2520
Aphrica, *unde dicta* 2182
Apia *terra* 2260
Apis *Phoronei filius* 2260
Apis *Ægyptius*, ibid.
Apobaterion, *locus ubi Arca stetit* 1657
Apollinis *templum in Delo*, 2486
Arabia, *unde dicta* 2509
Arabes, *Æthiopes sunt Orientales* 1757
Arabes, *mollitie infames* 2231
Arach, *urbs Nemrodi* 1757
Aradus, *insula* 1757
Aram *Semi filius* 1757
Aram *Naharaim*, ibid.
Ararat 1657
Arbelus, *Nemrod* 1782
Arcas, *à quo Arcadia dicta*, 2520
Arce, *quæ & Petra*, *Arabiæ urbs* 2547
Arectæi *campi* 1757
Areopagus *constituitur* 2495
Arestor, *an Argi πανόπτου pater* 2294
Argus *Jovis & Niobes filius*, 2199. *regnat* 2294
Argus *ὁ πανόπτης*, 2294
Argos, *peninsula quæ post Peloponnesus dicta* 2199, & 2294
Arimi, *pop.* 1757

Arioch *rex* 2090
Arisba *Teucri filia* 2526
Armenia, *unde dicta* 1757
Arnon, *torrens* 2547
Arphaxad *Semi filius* 1658
moritur 2097
Arphaxadæi 1757
Arcanius, *lacus* 1757
Aſcenaz *Gomeri filius*, ibid.
Aſenath *Joſephi uxor* 2290
Aſer *Jacobi filius* 2253
Aſphaltites *lacus* 2107
Aſſur *Semi filius, à quo dicti Aſſyrii* 1757
Aſſur *Ninives conditor* 1826
Aſſyriorum *Imperium* 1786
Athenæ *unde dictæ* 2449
Atlas *Iapeti filius* 2367
Atlantes *tres* 2526
Atthis *Cranai filia* 2500
Attica, *unde dicta* 2500. *regio* τετράπολις, ibid.
Auſitis, *terra* Uz 1757
Αὐτόχθονες, Atticæ *incolæ habiti* 2500

B

BAal, *Babyloniis Bel appellatur* 1885
Baal Peor, *idolum* 2547
Babel, *quid* 1757
Babylon *condita* 1786
Bacchus, *vide* Dionyſus.
Balacus *rex Moab* 2547
Balaam *propheta*, ibid.
Baris, *locus ubi Arca Noæ conſedit* 1657
Barthenos, *uxor Noæ* 129
Baſmat, *Eſaui uxor* 2208
Batéa, *Dardani uxor* 2526
Beeri, *qui & Ana* 2208
Beerſeba, *locus, unde* 2110
Bel *Aſſyriorum Deus* 1885
Bela, *urbs* 2090
Belphegor, *vide* Baal Peor.
Belus *Aſſyriorum rex primus, qui & Nemrod* 1786. *moritur, & pro Deo colitur*, 1885
Belus *alter, Libyæ filius* 2522
Benjamin *Jacobi filius* 2276
Beor, *Balaami pater* 2547
Bera, *rex Sodomæ* 2090
Berſa, *rex Gomorræ*, ibid.
Bethel, *urbs* 2084
Bethuel, *Rebeccæ pater* 2148
Bezaleel, *artifex* 2508
Bilha, *Jacobi concubina* 2253
Boſor, *vide* Beor.
Boſporus *unde dictus* 2496
Britanni *unde orti* 1757
Buſiris 2534.

C

CAat, *vide* Cahath.
Cabirorum *nomina* 2526
Cadaverum *crematio apud Græcos* 2500
Cades, *urbs*, 2509, & 2547
Cadesbarne, ibid.
Cahath *Levi filius* 2190. *moritur* 2435
Cain *fratrem occidit* 129. *ejus progenies*, ibid. *primus urbis conditor*, ibid.
Cainan *Enoſi filius* 325. *moritur* 1235
Caleb *Jephonæ filius* 2509
Calne, *vide* Chalanne.
Callithyia, *ſacerdos Junonis Argivæ* 2364
Calydnus, *Thebarum rex* 2244
Canaan, *vide* Chanaan.
Canticum *Moſis, omnium antiquiſſimum* 2508
Caphtorim *Philiſtæorum gentiles, à Meſraim orti* 1757
Cardyæi *montes Armeniæ*, 1657
Cariath-arba, *urbs* 2145
Caryatæ, *Arcadiæ pop.* 2199
Cecrops διφυὴς, 2449. *moritur, & humatur* 2500
Cedar *Iſmaëlis filius* 2131
Celtoſcythæ *à Japheto orti*, 1757
Cenchres *Ægypti rex in Mari Rubro perit* 2490, & 2508
Cethim, *vide* Cittim.
Cetii, Κήτειοι 1757
Cetura *Abrahæ uxor* 2182
Chalanne, *urbs Nemrodi* 1757
Chaldæi *ſunt Chaſdim* 1757
Chanaan *Chami filius* 1757
Chananæi *ſunt Phœnices*, ibid.
Cham, *unde dictus* 1782
Chamos *idolum* 2547, & 2017
Chaſdim, *Chaldæi* 1757
Charran, *urbs* 2083
Chaſed, *Nachoris filius* 2017
Chebros *Ægypti rex* 2299
Chedorlaomer *rex Elam*, 2090. *bellum infert Sodomitis* 2091
Chemia, *Ægyptus* 1782
Chemmi, *urbs*, ibid.
Cheth, *vide* Heth.
Chones *pop.* 2513
CHRISTUS *promittitur* 1
Chus *Chami filius* 1757
Cimbri & Cimerii *à Gomero orti* 1757
Cinæi *à Sinæis diverſi* 1757 *de Cinæis Balaam locutus* 2508
Circumciſio *inſtituitur* 2107
Citium, *urbs Cypri* 1757
Cittim *Javani filius*, ibid.
Clymenus *Herculi Ideo aram dedicat* 2537
Cnoſſos *urbs conditur* 2043
Columba Noë 1657
Columba *nigra Dodonæ* 2492
Columna *Nubis & Ignis* 2508
Corinthus *conditur* 2486
Corithus *rex Italiæ* 2526
Cranaus *Cecropis ſucceſſor*, 2500. *ab eo Athenæ* κραναὰ πόλις *dicitur*, ibid.
Creta *inſula unde dicta* 2043
Criaſus *Argivorum rex* 2364
Crotopus *Arg. rex* 2499
Curetes *Jovem nutriunt* 2043
Cybeles *templum in Creta*, ibid.

D

DAchareni, *Nabatæi*, 2231
Dan *Jacobi filius* 2253
Danaus 2522. *ex Ægypto in Argolidem navigat* 2531
Danaides *ob cædem maritorum infames*, ibid.
Dardanus 2526
Decimas *ſolvit Abram* 2091

INDEX.

Dedan *Regmæ filius* 1757
Deriades *Erythræus* 2508
Deucalion *regnat in parte Theſſaliæ* 2464
Diluvium *denunciatur* 1536
Diluvii *hiſtoria* 1656
Diluvium *Noëticum Ethnicis innotuit* 1657
Diluvium *Ogygianum* 2244
Diluvium *Deucalionéum* 2492
Dina *Jacobi filia* 2276
Dionyſus, *qui & Oſiris* 1782
Dionyſus *alter* 2508
Dodanim *Javani filius* 1757
Dodona *unde dicta*, ibid.
Dodonæum *templum & oraculum* 2492

E

EBer *Salæ filius* 1723. *moritur* 2188
Ebræi *& lingua Ebræa unde dicta* 1723. *an ea lingua apud Cananæos manſerit*, 1758
Ecteni *Thebaidis pop.* 2144
Edom, *qui & Eſau, unde dictus* 2168
Eliſa, *Javani filius* 1757
Elis, *unde dicta*, ibid.
Elam *Semi filius, à quo Elamitæ* 1757
Elon *Chettæus* 2208
Elone *Mamre, locus* 2089
Eleazar *Aaroni ſucceſſit* 2547
Elymæi, *unde* 1757
Emath, *vide* Hamath.
Emim, *gigantes à Moabitis expulſi* 2547
Endymion *Elide regnavit*, 2537
Enos *Sethi filius* 235. *an primus invocárit nomen Domini*, ibid. *moritur* 1140
Epaphus, *Ûs ſecundæ filius* 2469. *Memphin condidit* 2513
Epidaurus *conditur* 2409
Ephyra, *quæ poſt Corinthus dicta, conditur* 2486
Ephyra *Theſprotica* 2500
Er, *Judæ filius* 2268
Erec, *vide* Arach.
Erichthonius *Athenis regnat* 2518
Eryſichthon *Cecropis F.* 2486
Erythræum *mare* 2287, & 2508
Eſau *Iſaaci filius* 2168. *ejus uxores* 2208. *fratrem Jacobum odit* 2246. *fratri reconciliatus, funeri patris interfuit* 2287. *in monte Seir habitavit*, ibid.
Eteocretes 2043
Euadne, *Argi uxor* 2294
Eurotas *Myletis filius* 2518
Exodus *Iſraëlitarum ex Ægypto* 2508
Ezron *Pharezi filius* 2296.

F

FAmes *ſeptem annorum in Ægypto* 2295
Fœdus, *quod fecit Deus cum Abrahamo* 2092.

G

GAd *Jacobi filius* 2253
Gai, *locus, ubi ſepultus eſt Moſes* 2547
Galatæ *& Galli à Gomero orti* 1757
Gelanor *Arg. rex* 2531
Gerar, *urbs* 2107
Gergeſæi 1757
Germani *à quo orti* 1757
Geſher *Aramı filius* 1757
Geſſen, *vide* Goſen.
Gigôn *ſive Gignôn, Herculis Ægyptii nomen* 1966
Gobolitis, *Idumææ regio* 2508
Gomorra *evertitur* 2107
Goſen *terra paſcuis abundavit* 2299
Gomer *Japheti filius* 1757
Græci *à Javan orti* 1757
Græci, Γραικοὶ 2500.

H

HAda, *Eſaui uxor* 2208
Hæmonia, *Theſſalia* 2500
Hagar, *vide* Agar.
Halirrhothius *à Marte occiſus* 2495
Hamath, *urbs* 1757
Hammon, *Cham* 1782
Haran *Tharæ filius* 1948
Harmonia, *Dardani ſoror* 2516
Havila, *vide* Hevila.
Hebræi, *vide* Ebræi.
Hebron *urbs quando condita* 2089
Heliopolis, *urbs* 2190
Hellas *antiqua* 2500
Hellen *Deucalionis filius, à quo* Ἕλληνες dicti, ibid.
Hemor *Hivæus* 2276
Henoch *Caini filius* 129
Henoch *Jaredi filius* 622. *transfertur* 987
Hercules *Ægyptius* 1966
Hercules, *qui Antæum luctâ ſuperavit* 2430
Hermes *Triſmegiſtus* 2544
Heth *Canaanis filius* 1757
Hevæi *à Caphtoræis expulſi*, 1757. *unde dicti* 2547
Hevila *Chuſi filius* 1757
Hiſpani *à Tubal orti* 1757
Hieroſolyma *unde dicta* 2144
Hobab, *frater Sephoræ* 2508
Hor, *mons, ubi Aaron ſepultus eſt* 2547
Horæi *è monte Seir pulſi* 2287
Horeb, *quid ſignificet* 2508
Hyantes, *Bœotica gens* 2244
Hypermneſtra *Danai filia, Lyncei uxor* 2531.

I

JAbal, *Caini trinepos* 129
Jacob *Iſaaci filius naſcitur* 2168. *unde nomen nactus*, ibid. *benedictionem paternam fraude obtinet* 2246. *in Meſopotamiam diſcedit, & Scalam videt*, ibid. *Poſt viginti annos domum rediens, cum Angelo luctatur, & Iſraël nominatur* 2266. *in Ægyptũ deſcendit* 2298. *moritur* 2315
Jair *quare dictus Manaſſis filius* 2355, & 2547.
Japhet *Noæ filius an primogenitus*

nitus 1556. *nomen quid ſignificet*, ibid. *Ejus poſteri quas terras occupârint*, 1757
Iapetus *falsò putatur eſſe Japhet* 2367
Jared *Mahalaleelis filius* 460. *moritur* 1422
Iaſion, *Dardani frater* 2526
Iaſus *Argi filius* 2294
Iaſus, *Ius ſecundæ pater* 2469
Javan *Japheti filius* 1757
Iberi *à quo orti*, ibid.
Idumæa *quàm latè extenſa* 2287
Idumæi *cum Nabatæis in unam gentem coaluerunt* 2287
Jebuſæi 1757
Jebus, *non eſt urbis nomen*, ibid.
Jeria, *Indiæ Orientalis regio* 1758
Jeruſalem, *quid ſignificet*, 2144
Jeſcha, *quæ & Sarai* 2017
Jethro, *antiſtes Madianitarum* 2468
Inachus, *Argivorum rex primus* 2149
India *Orientalis à Joctani poſteris poſſeſſa* 1758
India *Occidentalis à Scythis Japheti poſteris primò habitata* 1757
Inſulæ *Gentium*, ibid.
Io, *Inachi filia* 2149
Io, *Iaſi filia, à Phœnicibus rapta, in Ægyptum venit* 2469
Io, *quæ & Callithyia* 2364
Jochabed *Amrami uxor* 2425
Joctan *Eberi filius* 1758
Iones, *à Javan* 1757
Iopolis, *urbs* 2149
Joſeph *Jacobi filius naſcitur*, 2260. *à fratribus venditur* 2276. *Aulicorum ſomnia explicat* 2287. *Carcere liberatus, toti Ægypto præficitur* 2289. *uxorem ducit* 2290. *Ægypti Terram emit, & Pharaoni ſubjicit* 2299. *moritur* 2367.
Joſue *naſcitur* 2459. *dux eligitur contra Amalecitas*, 2508. *Moſi morituro ſubſtituitur* 2547
Irad, *Caini nepos* 129
Iſis *Oſiridis conjux, antiquior quàm Io* 1782
Iſmaël *Abrami filius* 2094. *cum matre ejicitur* 2110. *veræ Eccleſiæ ſe adjunxit* 2231. *moritur*, ibid.
Iſraël, *Jacobi nomen* 2266
Iſraëlitarum *multitudo tempore Exodi* 2508. *Itinera eorum & manſiones in Deſerto*, ibid.
Iſſachar, *Jacobi filius* 2253
Itali *à Tubal orti* 1757. *unde dicti* 2513
Jubal, *Caini trinepos* 129
Judah *Patriarcha, Jacobi filius* 2253. *Tribus Judæ primum vexillum ferebat* 2508
Judith, *Eſaui uxor* 2208
Junonis *Argivæ Sacerdos prima* 2364
Junonis *Simulacrum*, ibid.
Jupiter *Cretenſis* 2043.

K

Kedar, *vide* Cedar.
Ketura, *vide* Cetura.
Kittim, *vide* Cittim.

L

Laban *Jacobum excipit*, 2246. *Rachelis loco Leam Jacobo dat* 2253. *Fruſtra Jacobum circumſcribere cogitat* 2260
Lacedæmon *urbs, conditur* 2518
Lacus *Aſphaltites* 2107
Lamech *Caini adnepos* 129. *an Cainum interfecerit*, ibid.
Lamech *Mathuſalæ filius* 874. *moritur* 1651
Laodice *Phoronei uxor* 2199
Latinus, *Herculis filius* 1757
Lea *Labanis filia, ex qua Jacob ſex filios ſuſcepit* 2253
Lehabim, *Meſraimi F.* 1757
Lelex, *à quo Leleges dicti* 2518
Levi *Patriarcha, Jacobi filius* 2253. *moritur* 2393
Lex *Moſi tradita in monte Sinai* 2508
Lia, *vide* Lea.
Libya, *Epaphi filia* 2522
Libyes *unde dicti* 1757, & 2522
Linguarum *diviſio* 1757
Lingua *prima manſit in Eberi familia* 1758
Lingua *Canaan*, ibid.
Linus *Pſamathes filius* 2499
Linus *Amphimari filius*, ibid.
Λῖνος, *cantilena*, ibid.
Locrus *Protogeneæ maritus* 2542
Lot *Haranis filius* 2017. *cum Abramo egreſſus è Chaldæa* 2077. *ab Abramo Sodomam diſcedit* 2087. *Angelos excipit hoſpitio, & ſervatur* 2107. *uxor ejus in ſtatuam ſalis vertitur*, ibid. *ipſe ex filiabus ſuis generat Moabum & Ben-Ammi*, ibid.
Loubar, *mons, ubi Arca ſtetit* 1657
Ludim, *Meſraimi filius* 1757
Lud *Semi filius* 1757
Luz, *urbs, unde dicta* 2084
Lycaon *in Arcadia regnat* 2449. *infantem macta t*, ibid.
Lydi *à quo orti* 1757
Lynceus *Danai gener, ab uxore Hypermneſtra ſervatus*, 2531.

M

Macedones, *unde* 1757
Μακέται, ibid.
Madai *Japheti filius* 1757
Madian *Abrahæ filius ex Ketura; à quo Madianitæ* 2182

Magog *Japheti filius, à quo Scytharum origo* 1757
Mahalaleel *Kainanis F.* 395. *moritur* 1290
Mahalat *Ismaëlis filia, Esauo nupsit* 2208
Maneros, *cantilena* 2499
Manna, *quid significet* 2508
Mara, *locus* 2508
Mare *mortuum* 2107
Mare *salis*, ibid.
Mare *Rubrum unde dictum* 2287, & 2508. *Siccatur*, ibid.
Maria, *Mosis soror* 2412. *moritur* 2547
Mathusala *Henochi F.* 687. *moritur* 1656
Mizaca, *urbs* 1757
Medi *unde orti* 1757
Mehujael *Caini pronepos* 129
Melcha, *Nachoris uxor* 2007
Melchisedec *rex Salem* 2091
Melissa, *Inachi soror & uxor* 2149
Memphis *urbs conditur* 2166 *ab Epapho instauratur* 2513
Memnonis *statua vocalis*, 2402
Menas, *Ægypti rex* 1935
Mephres *Æg. rex* 2333, & 2355
Mephramuthosis *Æg. rex*, 2367
Mesech *Japheti filius* 1757
Methusaël *Caini abnepos* 129
Mercurius *trismegistus* 2544
Mesopotamia 1757
Mesraim *Chami filius* 1757
Michaël *sepelit Mosem* 2547
Midian, *vide* Madian.
Minervâ *Cecrops coluit* 2449
Miriam, *vide* Maria.
Mizraim, *vide* Mesraim
Moab *Lothi filius* 2107
Moabitæ *Emim expulerunt* 2547
Moph, *Memphis* 2166
Moriah, *mons* 2144
Moscovitæ *à quo orti* 1757
Moses *Amrami filius nascitur* 2428. *occidit Ægyptium, & fugit* 2468. *expeditio ejus contra Æthiopas*, ibid. *Angelus è Rubo eum alloquitur* 2507. *quàm diu moratus in Monte* 2508. *punitur ob diffidentiam*, 2547. *moritur in monte Nebo*, ibid.
Mycene *Inachi filius, Arestoris uxor* 2294.

N

NAama, *vide* Noëma.
Nabathæi *unde dicti*, 2231
Nachor *Sarugi filius* 1840. *moritur* 1997
Nachor *Tharæ filius* 1948
Napata, *Candaces regia* 1757
Nebo, *mons* 2547
Nebaioth *Ismaëlis filius* 2231
Nemrod *Chusi filius & regnum ejus* 1757. *Belus dictus est* 1768
Nephtali, *Jacobi filius* 2253
Nili *fluvii exundatio* 2295. *nomina ejus* 2522
Ninus *Beli Assyrii F.* 1826. *patri succedit* 1885. *moritur* 1937. *gesta ejus*, ibid.
Ninyas *Nini filius* 1937. *quo prætextu matrem Semiramidem occiderit* 1979
Niobe *Thoronei filia* 2199. *prima mulierum, quas Jupiter amavit*, ibid.
Noëma *Caini trineptis* 129. *an uxor Noæ*, ibid.
Noë *nascitur* 1056. *an filios generaverit ante* 500. *annũ ætatis* 1556. *in Diluvio servatur* 1656. *ex Arca egreditur* 1657. *Sacrificium ejus*, ibid. *moritur* 2006
Nubis *Columna, dux Israëlitis in Eremo* 2508
Nyctimus *Lycaoni successit in Arcadia* 2492
Nysa, *Arabiæ urbs à Cham condita* 1782.

O

OEnotrus *coloniam ducit in Italiam* 2513
Og *rex Basan* 2547
Ogygus *rex, sub quo Cataclysmus in Græcia* 2244. *in Bœotia Thebas condidit*, ibid.
Ogyris, *insula Maris Rubri* 2508
On, *Heliopolis* 2290
Onan, *Judæ filius* 2268
Ophir *Jectani filius* 1758. *auriferæ regioni nomen dedit*, ibid.
Ophres *Africæ nomen an dederit* 2182
Opûs *Locrorum urbs, unde nomen acceperit* 2542
Orus *Osiridis filius* 1935
Orus *alter Æg. rex* 2433
Ὠρογενέται 1935
Osee *Nunis filius, qui & Jesuë* 2508
Osiris *est Mesraim* 1782
Osymandyas, *Æg. rex* 2266
Oxyartes *Bactrianorum rex* 1937.

P

PAras, *à quo Persæ dicti, fuit ex posteris Elam*, 1757
Parrhasii, *Arcadiæ pop.* 2199
Pasini *Castrum* 1757
Pathros, ibid.
Peleg, *vide* Phaleg.
Pentapolis 2107
Pelasgus, *Pelasgorum auctor* 2294
Pelasgi *per totam Græciam dispersi*, ibid.
Persarum *origo ab Elamitis* 1757
Petra, metropolis Arabiæ Petræ 2231, & 2547
Phaleg *Eberi filius* 1757. *moritur* 1996
Pharez *Judæ filius* 2283
Phaëthon *Æthiop. rex* 2491. *Epapho æqualis* 2513
Pharao *Saram Abrahamo allatam restituit* 2085
Pharao *alius in Rubro Mari perit* 2508

Phasga, *montis Nebo cacumen* 2547
Pherezæi 1757
Phicol *dux* 2208
Phidippus *Thessali filius* 2500
Philistæi à *Caphtoræis orti*, 1757. *Hevæorum sedes occupârunt*, ibid.
Phinees *Eleazari filius cum exercitu mittitur contra Madianitas* 2547
Phœnices, *sunt Cananæi propriè dicti* 1757. *rapiunt Io Iasi filiam* 2469
Phorbas, *Argivorũ rex* 2418
Phoroneus *Inachi F.* 2199. *Argivis leges constituit*, ibid. *primus homo dictus*, ibid. *Junoni aram primus fecit*, ibid. *contra Telchinas bellum gerit*, ibid.
Phut *Chami filius* 1757
Piranthus *Argi filius* 2364
Pirasus *Argi filius*, ibid.
Pithom *Ægypti urbs ab Israëlitis exstructa* 2190
Polycaon *Lelegis filius Messeniam occupavit* 2518
Potiphar, *vide* Putiphar.
Potipherah *Sacerdos Heliopoleos, Josephi socer* 2290
Prometheus 2418
Promissiones à *Deo factæ Abrahamo* 2077
Protogenia *Deucalionis filia* 2500
Psamathe *Crotopi filia* 2499
Putiphar *Josephũ emit* 2176. *ejus uxor Josephum accusat* 2286. *non eunuchus fuit, sed militum dux* 2290
Pyrrha, *Deucalionis uxor* 2464
Pyrrhæa, *Thessalia* 2500

Q

Quinque *Reges Pentapoleos* 2091

R

Rachel *Jacobi uxor* 2253. *parit filium Josephum*, ibid. *moritur* 2276
Ragau, *vide* Reu.
Raguel *an sit Jethro* 2508
Rameses *urbs ab Israëlitis exstructa* 2290
Rhathotis *Æg. rex* 2471
Rebecca *nubit Isaaco* 2148
Regma *Chusi filius* 1757
Rephaim, *Hevæi* 2547
Reu *Phalegi filius* 1787. *moritur* 2026
Reuben *Jacobi filius* 2253. *fratris cædi obstat* 2276
Reubenitæ & *Gaditæ Amoritidem possident* 2547
Rhodus *condita* 2166
Rhodii à *quo orti* 1757
Riphat *Gomeri filius*, ibid.
Rubrum *Mare, unde nomen habuerit* 2287.

S

Saba *Chusi filius* 1757
Sabæorum *duæ gentes*, ibid.
Sabatha, *urbs Arabiæ*, ibid.
Sabtechi *Chusi filius*, ibid.
Sacerdotum *apud Ægyptios dignitas* 2299
Sacerdotum *annis Fasti signabantur apud Argivos* 2364
Sacrificia *Patriarchis qualia* 129
Sala *Arphaxadi filius* 1693. *moritur* 2127
Salem, *urbs* 2144
Samarei 1757
Samothracum *mysteria* 2526
Sara *Haranis filia* 2017. *nupsit Abrahamo*, ibid. *risus ejus* 2107. *aufertur marito*, 2085. *moritur* 2145.
Saraceni *unde dicti* 2093
Sarapis 2260
Sarug *Revi filius* 1819. *moritur* 2049
Scamander, *qui fluvio nomen dedit* 2526
Scheba *Regmæ filius* 1757
Schelach, *vide* Sala.
Scythæ à *Japheto orti* 1757
Seboim *urbs evertitur* 2107
Segor, *urbs parva*, ibid.
Segub *Esronis filius* 2355
Sehon *rex debellatur* 2547
Selah *Judæ filius* 2258
Sella *Lamechi uxor* 129
Selli, *Hellenes* 2500
Sem *Noæ filius* 1558. *moritur* 2159
Semeber, *rex* 2090
Semiramis *Nino marito succedit* 1937. *an Babylonem condiderit*, ibid. *nomen quid significet*, ibid.
Sennaar, *Mesopotamiæ pars* 1757
Sephora *Mosis uxor* 2468. *cur Æthiopissa dicta* 2509
Sepultura *qualis tempore Cecropis* 2500
Sesostris, *qui & Sesoosis* 2522
Sesothis *rex, qui & Ægyptus*, ibid.
Seth *Adami filius qualis & quantus vir* 130. *moritur* 1042
Sichem *Hemoris filius Dinam vitiat* 2276
Sichem, *urbs* 2083
Sicyoniorum *regnum* 1915
Sidon *Canaanis filius qui nomen urbi dedit* 1757
Sidon *urbs Tyro antiquior*, ibid.
Sidonii *Homero memorantur*, ibid.
Sihor, *Nilus* 2522
Simeon *Jacobi filius* 2253
Sinai, *montis & Deserti nomen* 2508
Sineab, *rex* 2090
Sinæi, *Canaanis posteri* 1757
Singara, *urbs* 1757
Σιεις, *Nilus* 2522
Sirius, *stella*, ibid.
Sisithrus *rex, sub quo Diluvium accidit* 1657
Sittim, *locus, unde dictus* 2547
Smintheus *Apollo* 2526
Sparta *Eurotæ filia* 2518
Sodomæ *clades* 2107
Solyma, *urbs* 2144
Sthenelas *Arg. rex* 2520
Succoth, *locus*, 2266, & 2508
Suph, *quid significet* 2508

INDEX.

Susan, *in regione Elam* 1757.

T

Tanape, *vide* Napata.
Tanis, *Ægypti urbs* 2087
Tarsis *Javani filius* 1757
Tarsus *urbs condita* 2469. *unde dicta* 1757
Tartari, *Scythæ Nomades* 1757
Tat, *Hermetis filius* 2544
Telchines *bellum movent contra Phoroneum* 2199. *ejecti Peloponneso in Cretam migrant*, ibid. *Rhodum condunt* 2266
Telephassa, *Agenoris uxor* 2534
Terach, *vide* Thare.
Terra *Ham*, *Ægyptus* 1757, & 1782.
Teucer *Dardani socer* 2526
Thadal, *rex* 2090
Tharsis, *vide* Tarsis.
Thebæ *in Ægypto conditæ* 1782
Thebæ *in Bœotia* 2744
Thamar *Judæ nurus* 2280. *socero se prostituit* 2283
Thare *Nachoris filius* 1878. *quo ordine genuerit filios* 1948
Thelxion *Apin occidit* 2260
Thessalia *unde dicta* 2500
Thessalus *Hæmonis filius*, ibid.
Thessalus *Herculis filius*, ibid.
Thiras *Japheti filius* 1757
Thoyth *sive Theuth*, *Mercurius* 2544
Thraces *à quo orti* 1757
Thuthmosis, *Æg. rex* 2393
Tidal, *vide* Thadal.
Tigranis *nomen unde* 1757
Titanes, *qui, & unde dicti* 2367
Togarma, *Gomeri filius* 1757
Totari, *vide* Tartari.
Triopas *Argivorum rex* 2453
Triptolemus *Trochili filius* 2469
Trochilus, *quadrigæ inventor* 2433
Tubal-cain *Caini trinepos*, 129
Tubal *Japheti filius* 1757
Turcæ *à quo orti*, ibid.

V

Uchoreus *Ægypti rex, qui Memphin condidit* 2266
Veneris *stella cursum mutavit* 2244
Vitulus *aureus* 2508
Vulcani *nomen, unde* 129
Uz *sive Huz*, *Jobi patria* 1757

X

Xanthus, *Lesbi conditor* 2453
Xanthus, *fluvius* 1526
Xisuthrus, *vide* Sisithrus.

Z

Zabulon *Jacobi filius* 2253.
Zameys, *vide* Ninyas.
Zamzummim *gigantes expulsi à filiis Ammon* 2547
Zara *Judæ filius* 2283
Zelpha *Jacobi concubina, quæ peperit Gad & Aser* 2253
Zeus *Cecrops Deum primus appellavit* 2449
Zippora, *vide* Sephora.
Zoan *urbs, quæ & Tanis* 2089
Zoroastres, *Bactrianorum rex* 1937
Zoroastres, *magus*, ibid.

FINIS.

INDEX

PARASCEVE

Ad

Chronicon Catholicum:

Scripta ab

EDVVARDO SIMSONIO.

CANTABRIGIÆ,
Ex Academiæ celeberrimæ typographeo.
Anno MDCXXXVI.

CAMBRIDGE
UNIVERSITY
LIBRARY

PARASCEVE
Ad Chronicon Catholicum.

CAP. I. *De Historiis & Annalibus, quibus olim Rerum in variis Orbis terrarum partibus gestarum memoria fuit conservata.*

CAP. II. *De utilitate ac præstantia* τῆς καθολικῆς ἱστορίας.

CAP. III. *De Chronologiæ difficultate.*

CAP. IV. *De antiquis Chronographis.*

CAP. V. *De Anni forma antiquissima.*

CAP. VI. *De Primi anni initio: De Mensibus, &c.*

CAP. I.

MOSEM, qui Cecropi primo Athenienſium Regi σύγχρονος fuit, omnium quorum nunc exſtent Scripta, vel quorum nomen in Gentilium ſcriptis proditum ſit, primum fuiſſe hiſtoricum, conſtat. Cúmque Hiſtoriæ prima virtus, ac præcipua laus ſit Veritas; ea tanta ineſt hiſtoriæ Moſis, ut nè de unius quidem verbi omnium ſcriptorum ejus veritate, fas ſit ambigere. Eo præterea cæteris hiſtoricis præcelluit, quòd longiſſimi temporis hiſtoriam ſcripſit: nam uſque à Mundi exordio repetitam ad duo millia, & quingentos annos pertexuit. Scripſit Pentateuchum, id eſt, Quinque volumina, quorum nomina apud Hebræos ſumuntur à primis verbis ipſorum librorum: Græci autem Interpretes (quos & Latini ſequuntur) denominant libros Moſaïcos à materia, de qua agitur in libri principio: & quidem Primum librum vocant *Geneſin*, quia initio ſcribitur generatio cœli, & terræ, & reliquarum creaturarum. *Exodum* vocant librum Secundum, cujus initio deſcribitur ἡ ἔξοδος, id eſt, *Egreſſio* filiorum Iſraël ex Ægypto. Tertius dicitur *Leviticus*, quoniam in eo deſcribuntur

buntur officia Levitarum circa Tabernaculum, Sacrificia, & alia id genus. Quartum vocant Ἀριθμοὺς (*Numeros*) quoniam ibi numeratur multitudo filiorum Iſraël per tribus & familias ſuas. Quintus vocatur *Deuteronomium*, quaſi *Secunda lex*, quoniam in eo Lex Domini data in monte Sinai denuò repetitur, & explanatur. Ex his libris intelligi poteſt, Moſem fuiſſe virum doctiſſimum non ſolùm in Theologia, Philoſophia & Poëtica, ſed etiam in arte Hiſtorica. Scribit enim Hiſtoriam, Genealogias, & Res geſtas Patriarcharum ab Orbe condito uſque ad Exitum Iſraëlitarum de Ægypto, imò etiam uſque ad obitum ſuum, id eſt, uſque ad Annum Mundi 2547. Quæ autem poſt mortem ipſius Moſis ſcribuntur in extremo Capite Deuteronomii, addita ſunt vel ab Eleazaro Pontifice, vel à Joſuë, vel ab Eſdra, vel ab alio aliquo Propheta.

Quæritur, Unde Moſes illam de Mundi opificio doctrinam, nullâ ratione humanâ comprehenſibilem, acceperit, & quo eam tempore literis mandaverit. Reſp. Quæ ſcripſit Moſes de Mundi fabricatione, ea potuit ipſe dupliciter habere cognita: partim à Deo lumine prophetico illuſtratus; quo lumine quæ occultiſſima ſunt atque omnem humanæ intelligentiæ vim & captum excedunt (ſive præſentia, ſive futura, ſive præterita ſint) manifeſtò cernuntur: partim doctus & eruditus à majoribus ſuis, ad quos ejuſmodi rerum doctrina indè ab Adamo uſque fideliſſimâ poſterorum traditione, quaſi per manus transmiſſa & ad Moſem perducta fuerat. Vide Pererium Præfatione in Geneſin.

Sed quo tempore hunc Geneſeos librum ſcripſit Moſes? Theodoretus Librum Geneſeos à Moſe ſcriptum opinatur poſt Legem Hebræis latam, quo nimirum tempore Moſes cum Hebræis, quorum dux erat, in ſolitudine verſabatur. Probabilior autem videtur opinio Euſebii Cæſarienſis, qui Geneſeos volumen à Moſe ſcriptum eſſe cenſuit, ante deceſſum Hebræorum ex Ægypto; ut non obſcurè indicant verba ipſius, lib. 7. Præparationis Evangelicæ. Cujus rei duplicem conjecturam afferre poſſumus. Altera conjectura eſt, quòd Moſes Ægypto profugus per quadraginta annos in terra Madian verſatus eſt; ubi ſoceri ſui gregem paſcendi curam agens, & otio & ſolitudine, duabus ad commentandum ſcribendúmque rebus maximè opportunis, ad res divinas animo pertractandas literíſque prodendas mirabiliter illectabatur. Altera, quâ

ipſe

ipse Eusebius nititur, conjectura est, scriptionem ejus libri plurimum eo tempore conferre potuisse ad consolandos & erigendos animos Hebræorum, qui id temporis diuturnâ & prægravi servitute oppressi ab Ægyptiis tenebantur. Ponebat enim iste liber ante oculos, eorum, qui Hebræi populi fuêre Principes ac parentes, eximias virtutes, & res præclarè gestas; maximè verò, invicti ipsorum in rebus adversis animi magnitudinem, atque constantiam. Repræsentabat etiam hic Liber eorum mentibus magnifica Dei oracula, & Promissa; in primis illud, quo prædictum fuerat Abrahamo, fore, ut post ortum filii sui Isaac, posteri ejus quadringentorum annorum laboriosâ peregrinatione durissimâque servitute afflictarentur: sed post ejus temporis decursum, omnes mirabiliter liberatum iri, & promissæ optatæque terræ Chananæorum possessione potituros. Ejus autem Temporis finis jam tunc proximè aberat.

Præterea, Mosem Libri Job auctorem fuisse, multorum opinio est. Ab ipso quidem Job fuisse annotatas res ejus gestas linguâ Arabicâ, censet Bellarminus: sed à Mose fuisse postea ex eo volumine compositum librum, quem nunc habemus, linguâ Hebraicâ. Hebraicè quidem liber ille, qui nunc exstat, scriptus est, non Syriacè, vel Arabicè; quamvis aliqua vocabula Arabica in eo legantur. At Job non Hebraicè scripsit (si quid scripsit) sed linguâ suâ, sive Idumæus fuerit, ut plerique sentiunt; sive à Nachor fratre Abrahæ descenderit, ut ex sententia Hebræorum scripsit B. Hieronymus. Quòd si non est ipse Job auctor libri hujus, nulli meliùs tribui potest hoc Opus, quàm Mosi, qui fuit temporibus Jobi. Quanquam enim Mose antiquior fit Job (ità enim dicendum est, sive tertius à Nachor, sive Esaui pronepos fuerit) tamen aliquantum temporis simul vixisse credibile est; præsertim cùm Job ad annum ætatis 248 pervenerit. Sic enim scriptum reliquit Isidorus, libro De vita & morte Patrum.

Josuæ invictissimi Israëlitarum imperatoris res gestas, ab ipso conscriptas fuisse affirmat Isidorus libro sexto Originum. Qua de re minimè dubitandum censet Bellarminus: tum quia in extremo Capite illius libri dicitur de Josua, *Scripsit omnia verba in volumine Legis Domini:* tum quia omnino credibile est, Josuam, qui fuit discipulus & successor Mosis, imitari voluisse magistrum & prædecessorem suum: ut, sicut ille ad sempiternam memoriam literis mandave-

rat Res geſtas in populo Dei, uſque ad ſua tempora; ità & ipſe faceret, cùm ei neq; ſcientia nec aſſiſtentia Spiritûs Sancti in ſcribendis ſacris hiſtoriis deeſſet. Pauca quæ adduntur in fine libri de morte ipſius Joſuæ & ſepultura, ſine dubio ſcripta ſunt à ſucceſſoribus, quicunque illi fuerint: éſtque admodum veriſimile, à Samuele vel Eſdra fuiſſe addita. Rectè tamen monet Athanaſius in Synopſi, ex nomine libri non neceſſariò colligi auctorem, ſed materiam. Dicitur enim Liber Joſuë, quia continet Res geſtas Joſuë: & eodem modo dicuntur libri alii, ut Judicum, & Regum.

Andreas Maſius Præfatione Commentariorum in Joſuam, notat, priſcis temporibus apud Eccleſiam fuiſſe Diaria, & Annales, in quibus Res geſtas continuatâ ſerie inſcribebant ii, qui quoque tempore eleganti eruditione, pietatéque præſtantes in populo Dei vivebant. Sibi igitur ait eam eſſe opinionem, ut putet, Eſdram, ſive ſolum, ſive unà cum æqualibus, inſigni pietate & eruditione viris, libros Joſuë, Judicum, Regum, aliósque quos in Sacris Bibliis legimus, ex diverſis Annalibus apud Eccleſiam Dei conſervatis compilâſſe, in eúmque ordinem, qui jam olim habetur, redegiſſe atque diſpoſuiſſe. Quin ipſum etiam Moſis Opus, quod vocant τὸ πεντάτευχον, longo poſt Moſem tempore, interjectis ſaltem hîc illîc verborum & ſententiarum clauſulis, veluti ſarcitum, atque omnino explicatius redditum eſſe. Idem Maſius ad illa verba Joſ. 10. 13. *Annon hoc ſcriptum eſt in libro Jaſher?* affert locum Joſephi Antiquit. lib. 5. cap. 2. ubi pro libro Jaſher, habet τὰ διαπεμψάμενα ἐν τῷ ἱερῷ γράμματα, hoc eſt, Scripta in Templo aſſervata. Namque eam habet ille opinionem, ut credat, priſcis illis temporibus, quæcunque in Eccleſia Dei agebantur digna apud poſteros memoriâ, ea eruditos, & ab ingenio atque arte ſcribendi paratiſſimos viros, in Annales retuliſſe. Inter illos Annales fuerit *Sepher ha Jaſher*, id eſt, Liber τῆς Εὐθείας vel Recti, ſic dictus, quòd optimâ fide atque ſerie res geſtas perſtringeret: aut, quia Iſraëlitici populi facta contineret; quem populum, *Jeſhurun*, tum Moſes, tum Eſaias vocavit: ſive idem ille Liber fuerit, qui *Liber Bellorum Domini* Numer. 21. 17. vocatur, ſive ejus pars quædam, aut etiam diverſum opus. Neque verò eſt, quod miremur, illiusmodi Annales jam nullos ſupereſſe: poſtquam enim Sacra Hiſtoria, ut nunc habetur, ex illis ſive per Eſdram ſive per alios fuit compilata, levior viſa eſt illorum jactura. Igitur minimè abſurdum

eſt,

est, si Scriptor libri Josuë publicarum literarum (quales certè habebantur Annales illi, in sacro tabellario adservati) testimonio atque auctoritate utatur, ad probandum Solis miraculum. Ejus verò libri scriptorem non esse ipsum Josuam, vel hoc argumento satis comprobari putat Masius: *Quis* (inquit) *existimare possit, quod sæpe dicitur, Hoc, Illud ad præsentem usque diem durare, id à Josua dictum esse, in cujus diebus ipsum evenit? Capite enim quarto, dicit scriptor de iis lapidibus, quos Josua in medio Jordanis erexit,* MANSERUNT IBI USQUE IN HUNC DIEM: *Quibus verbis videtur voluisse longum tempus indicare.* Eadem phrasis capite quinto legitur, commate 9. Item Cap. 7.26. & 8.28. & 10.27. & 13.13. & 15.63. Masii opinionem non improbat Pererius: Cujus verba ex Præfatione in Genesin hîc apponere non gravabor: *Illud etiam in disputationem adduci potest,* inquit, *an quales Mosis libros jam olim habemus, tales omnino sint ab eo scripti, ut nihil in eis contineatur, quod non sit à Mose profectum, literísque mandatum. Non esse libros Pentateuchi, ut nunc sunt, ità scriptos à Mose, quidam eo argumento colligunt, quòd in Capite 21. libri Numerorum citatur Liber Bellorum Domini, Proverbia item & Carmina, quæ post Mosis tempora esse scripta, non est dubitandum. Quin & eo loco, eorum proverbiorum & carminum auctores, appellantur Hebraicè Moschelim: quo licet intelligere, fuisse eos argutos & elegantes scriptores. Nimirum isti res maximè insignes & memorabiles, partim ligatâ oratione, partim solutâ scribebant. Ego, ut credam maximam Pentateuchi partem esse Mosis, adducor, tum consentiente omnium auctoritate, tum etiam quòd* Exod. 17.14. & 24.4. & Deut. 31.9,22. *multa in scriptis Mosem reliquisse comperio. Nec leve argumentum ejus rei est, quod Dominus noster dixit Judæis,* SI CREDERETIS MOSI, CREDERETIS FORSITAN ET MIHI: DE ME ENIM ILLE SCRIPSIT. SI AUTEM ILLIUS LITERIS NON CREDITIS, QUOMODO VERBIS MEIS CREDETIS? *Placet etiam mihi eorum sententia, qui existimant, Pentateuchum longo post Mosem tempore, interjectis multifariàm verborum & sententiarum clausulis, velut sarcitum, & explicatius redditum, & ad continuandam Historiæ seriem melius esse dispositum. Illud quoque simillimum vero est, fuisse in Synagoga priscis illis temporibus Diaria & Annales, in quibus res sacræ memorabiles, & ad sacræ doctrinæ propagationem utiles scribebantur continuatâ serie ab his, qui omni ætate eruditionis ac pietatis laude florebant; è quorum scriptis*

ptis sumpta esse multa eorum, quæ nunc sunt in sacris libris, brevius tumen ac distinctiùs tradita & in meliorem ordinem adducta, magno argumento est, quòd sæpe in divinis libris citantur alii libri, in quibus eadem res uberiùs narrabantur. Hæc ille.

De cæteris Historiæ Biblicæ scriptoribus differentem audiamus Sixtum Senensem Bibliothecæ libro primo: *Librum Judicum Samuel existimatur collegisse, eique adjecisse Ruth Moabitidis historiam. Liber Samuelis, quem Græci & Latini Primum & Secundum Regum dicunt, partim à Samuele propheta, partim à Nathan & Gad Prophetis creditur esse conscriptus. Samuel enim collegit facta Heli, Saulis, Davidis, ac sui ipsius gesta, quæ in Primo Regum usque ad mortem suam, hoc est, usque ad Caput 25. referuntur. Nathan verò & Gad scripserunt libros Regum à morte Samuelis usque ad finem libri Secundi: quod satis apertè indicare videtur primus liber Paralipomenon, in cujus calce hæc verba leguntur,* GESTA DAVID PRIORA ET NOVISSIMA, SCRIPTA SUNT IN LIBRO SAMUELIS VIDENTIS, ET IN LIBRO NATHAN PROPHETÆ, ET IN VOLUMINE GAD. *Regum Tertius, & Quartus liber, quem Hebræi Melachim nuncupant, à quo scriptus sit, non satis constat: alii Esdram, alii Hieremiam hoc opus in unum volumen collegisse tradunt: quod & propius vero mihi videtur, quia postremum Caput libri Regum cum ultimo Capite libri Jeremiæ stylo, verbis, ac narratione conveniat. Apparet, hoc volumen per compendium fuisse collectum partim ex libris Dierum Regum Juda & Israël, partim ex Nathan prophetæ, Ahiæ Silonitis, Addo Videntis, & Semei, Hozai, Jehu, & Esaiæ prophetarum scriptis sæpissime in Tertio & Quarto libro Regum citatis.*

Hanc Sixti sententiam sequutus est Cardinalis Bellarminus, libro De Scriptoribus Ecclesiasticis: *Samuelem* (inquit) *fuisse auctorem libri Judicum, & Ruth, & libri primi Regum, docet Sanctus Isidorus libro sexto Originum: & quod attinet ad librum primum Regum, in quo continentur res gestæ Davidis, testatur liber prior Paralipomenon, cap. ult. eum scriptum fuisse à Samuele.—Gad & Nathan Prophetæ persecuti sunt res gestas Davidis quæ habentur in libro primo & secundo Regum, & initio tertii, ab eo loco, ubi desiit Samuel. Sic enim scribitur libro priore Paralipomenon:* GESTA REGIS DAVID PRIORA ET NOVISSIMA, SCRIPTA SUNT IN LIBRO SAMUEL VIDENTIS, ET IN LIBRO NATHAN PROPHETÆ, ET IN VOLU-

VOLUMINE GAD VIDENTIS. Ahias & Addo scripserunt res gestas Salomonis, ut habetur 2. Paralip. cap. 9. sive sint ea, quæ narrantur tertio libro Regum, sive res aliæ. Quis autem scripserit reliqua, quæ habentur in libro tertio Regum post caput undecimum, & in toto quarto, & in duobus libris Paralipomenôn, non est omnino certum. Hæc Bellarminus.

De libris Paralipomenôn verba Sixti Senensis adjiciam: *Hos duos libros*, inquit, *quos Hebræi Verba dierum appellant, hoc est, Annales, vel Chronica, Græci vocant* Παραλειπομένων, *hoc est, Prætermissorum: quia ea, quæ vel in Pentateucho, vel in libris Josuë, Judicum, & Regum aut omissa, aut non planè descripta sunt, breviter & summatim explicant. Hi nullum certum habent autorem: scribunt tamen Rabbi Salomon, & Rabbi Moses Kimchi ex sententia Seniorum, Esdram utriusque fuisse autorem, collegisseque in eis epitomen, & chronicon omnium præcedentium librorum, à principio scilicet divinæ Scripturæ usque ad finem quarti Regum. Apud Hebræos hæc Historia unico tantùm libro continetur.*

De libris Esdræ, idem eruditus Scriptor hæc habet: *Esdræ sive Ezra, filius Saraiæ filii Azariæ ab Aaron sacerdote magno duodecimi, scriba Legis Domini ingeniosus & velox, edidit librum sui nominis titulo prænotatum Hebraicis quidem literis, & à se primùm repertis, sed Chaldaico sermone digestum: in quo conscripsit reditum Israelitici populi ex captivitate Babylonica in Judæam, urbisque Hierusalem instaurationem, & novi Templi exstructionem. Alterum verò librum, qui Secundus Esdræ inscribitur & eandem historiam pertractat, scripsit Nehemias, filius Helciæ, sacerdos, & in captivitate pincerna Regis Artaxerxis: unde & præfatio libri ejus est, Verba Nehemiæ, filii Helciæ: qui & in omnibus ferme libri sui capitulis, de se per primam personam loquitur. Sortitur autem hic liber nomen Esdræ ob causas duas: primùm, quòd ea contineat quæ simul ab Esdra & Nehemia gesta sunt; deinde, quòd utrique libri tam apud Hebræos, quàm apud Græcos, in unum connectuntur volumen, apud Latinos in duo divisum.*

De libro Esther, idem Autor Bibliothecæ Sanctæ lib. 1. sect. 2. *Plerique Latinorum tradunt*, inquit, *volumen hoc à Mardochæo Hebraicè conscriptum: quibus etiam favere videntur verba illa noni capitis hujus libri: Scripsit itaque Mardochæus omnia, & literis comprehensa misit ad Judæos.*

Reſtat Hiſtoria Maccabæorum, duobus voluminibus comprehenſa; quæ à tribus diverſis autoribus videtur conſcripta. Primum ejus librum eſſe Hebræi autoris, & Hebraicè ſcriptum, phraſis ipſa indicat, ut ait Sixtus Senenſis: & B. Hieronymus ſe Hebraicâ linguâ ſcriptum legiſſe confirmat. *Credibile eſt*, inquit Bellarminus, *ejus libri autorem fuiſſe Joannem Hyrcanum, Simonis filium, qui rebus omnibus interfuit, & non ſolùm Sacerdos ac Princeps fuit, ſed etiam Propheta, ut ſcribit Joſephus.*

Poſterioris libri Maccabæorum (qui dempto primo ejus Capite, ac dimidio ſecundi, ſic incipit, Τὰ δὲ κατὰ τὸν Ἰούδαν τὸν Μακκαβαῖον, &c. autor fuit Jaſon Cyrenæus, qui libris quinque omnem hanc hiſtoriam comprehenderat; quorum librorum epitomen, quæ hodie ſolùm exſtat, Joſephus compoſuit, ut putat B. Hieronymus. Alii Philonem Judæum, illos Jaſonis libros, quibus Aſmonæorum geſta complexus fuerat, in compendium redegiſſe arbitrantur. Duæ epiſtolæ ὁμοίως, quæ initio hujus ſecundi libri Maccabæorum ponuntur, ab Senatu Hieroſolymitano conſcriptæ ſunt.

Maccabæorum liber tertius continet admirandam ac ſemper memorabilem liberationem Judæorum, quos turmatim catenis vinctos Ptolemæus Philopator, quartus Ægypti rex, expoſuit in hippodromo Alexandrinæ urbis, efferatis elephantis proterendos. Quæ igitur in hoc libro narrantur, ad Maccabæorum hiſtoriam, tametſi ejus præferant inſcriptionem, nihil attinent. Hactenus de ſacræ Scripturę libris Hiſtoricis.

Ad Bibliorum Interpretes quod attinet, exſtat hodiéque liber ſub Ariſtæi, ſeu Ariſteæ nomine De Tranſlatione Legis Judaicæ ex Hebraica lingua in Græcam per Septuaginta duos interpretes. Vixit ille Ariſteas tempore Ptolemæi Philadelphi, ſcriptor jam olim laudatus Joſepho libro 2. contra Apionem, & Antiquit. lib. 12. cap. 2. Tertulliano Apologet. cap. 18. Euſebio, Epiphanio, aliis. Quanquam verò Ariſteas Legis Judæorum tantummodo translatæ à LXX illis Interpretibus mentionem fecit (ſic enim ille hanc verſionem τὴν τῶν ἁγίων Νόμων μετάφρασιν dixit) tamen veriſimile eſt, non ſolùm Moſis Pentateuchum, ſed aliorum quoque Prophetarum ſcripta ab Eleazaro pontifice ad regem Ptolemæum miſſa fuiſſe. Igitur nomine *Legis* Ariſteas fortaſſe omneis Veteris Teſtamenti libros ſacros intelligebat. Nam à Lege, qui præcipuus liber

ber erat, omnes libri denominabantur. Josephus quidem Præfatione in suam Ἀρχαιολογίαν, ait, Ptolemæum Legis solummodo Interpretationem ab illis Septuaginta Senioribus accepisse: Οὐδὲ γὰρ πᾶσαν ἐκεῖνος ἔφθη λαβεῖν τὴν ἀναγραφὴν, ἀλλ' αὐτὰ μόνα τὰ τοῦ Νόμου παρέδοσαν οἱ μεμφθέντες ὑπὸ τοῦ ἐξηγήσεως χάριν τοῦ Ἀλεξάνδρειαν. id est: *Neque enim totam Scripturam occupavit rex ille, sed Legem solam ei tradiderunt interpretes, qui ob hoc Alexandriam missi fuerant.* Cùm verò Apostoli, quorum tempore nulla erat alia μεταγραφὴ Græca quàm LXX Interpretum, in testimoniis Prophetarum citandis Græcâ versione usi sint; probabilior est opinio Justini Martyris, Irenæi, Clementis Alexandrini, & aliorum, qui eos vertisse omnia existimant.

Ex omnibus Sacræ Historiæ libris Flavius Josephus Mattathiæ sacerdotis filius, natione Hebræus, patriâ Hierosolymitanus, Judaicarum Antiquitatum libros viginti contexuit; quas orditur ab Orbe condito, ac perducit usque ad duodecimum Neronis annum, quo tempore adversus Romanos arma Judæi ceperunt. Nobilis hic historicus, quanquam Judæus esset, amicus fuit Christianorum; & Dominum nostrum JESUM Christum in decimo octavo Ἰουδαϊκῆς ἀρχαιολογίας libro insigni elogio celebravit. De hoc scriptore Josephus Scaliger in Prolegomenis ad libros De Emendatione Temporum sic scribit: *Diligentissimus & φιλαληθέστατος omnium scriptorum Josephus: de quo nos hoc audacter dicimus, non solùm in rebus Judaicis, sed etiam in externis tutiùs illi credi, quàm omnibus Græcis & Latinis.* Res Judaicas multi etiam Græci scriptores attigerunt: quorum testimonia profert Eusebius libro nono Præparationis Evangelicæ. Hecataei Abderitæ historici, qui cum Alexandro Magno nutritus fuit, præclaro testimonio utitur Josephus libro primo contra Apionem. Nam Hecatæus ille non παρέργως Judæorum meminit, sed integrum de ipsis Judæis librum conscripsit. Cleodemus Malchus Judæorum historiam contexuit. Hujus quædam ex Polyhistore profert Josephus Antiquit. lib. 1. Artapanum de Judæis opus sive συγγραφὴν fecisse, testatur Clemens Stromatum primo, ubi refert, quæ de Mose scriptor ille prodidit. Demetrius quidam De Judæorum regibus scripsit, ut testatur idem Clemens. Ex hoc Demetrio quædam de Jacobo patriarcha & de Mose Alexander Polyhistor suis scriptis inseruit. Ea habes apud Eusebium Præp. lib. 9.

Apud Ægyptios, Chaldæos, & Phœnicas rerum gestarum ab

antiquissimis temporibus memoria literis tradita permansit, ut testatur Josephus libro primo contra Apionem: Καὶ γὰρ πολλὴν ἐποιήσαντο σφόδρα πρόνοιαν, inquit, τοῦ μηδὲν ἀμνήστον τῶν παρ' αὐτοῖς πραττομένων παραλιπεῖν, ἀλλ' ἐν δημοσίαις ἀναγραφαῖς ὑπὸ τῶν σοφωτάτων ἀεὶ καθιεροῦσθαι. *Multam enim providentiam habuere, ut nihil eorum quæ apud ipsos aguntur, sine memoria relinqueretur; sed in Actis publicis semper à viris sapientissimis dicaretur.* Paulò pòst: Apud Ægyptios & Babylonios ἐκ μακροτάτων ἀνωθεν χρόνων τοῦτο τοῖς ἀναγραφὰς ἐπιμέλειαν fuisse dicit, quia Sacerdotibus apud Ægyptios, & Chaldæis apud Babylonios erat injunctum, ut res gestas in Acta publica referrent: Phœnicas autem tum in commercio cum Græcis, tum ad res publicè gestas memoriæ tradendas, usum literarum ab antiquo habuisse. Hæc antiquissimarum gentium Archiva laudat Tertullianus in Apologetico.

Ex istis Archivis Hellanicus, Herodotus, Diodorus Siculus, & alii, multa de rebus Ægyptiorum in suos historiarum libros transtulere. Ægyptiaca enim multos olim scripsisse legimus. Lynceum Samium, Duridis historici fratrem ἐν Αἰγυπτιακοῖς citat Athenæus. Aristagoras nomen sibi peperit Ægyptiacis suis, quorum non semel meminit Stephanus Ethnicographus. Euagoras Lindius condidit historiam regna Ægyptiorum complexam, teste Suida. Lyceas Naucratita Αἰγυπτιακὰ consignavit, ut cognoscimus ex Athenæi libro decimo quarto. Philistum Syracusanum res Ægyptiacas libris 12 scripsisse ait Suidas. Historiam Ægyptiacam de rebus Ogygiis composuit Asclepiades Ægyptius, ut refert Suidas in Ἡφαίστος, cujus operis librum sexagesimum citat Athenæus. Ægyptiorum historias ex Sacerdotum libris descripsit Manethos sive Manethon Sebennyta, flamen Ægyptius. Cujus scriptoris meminit Eusebius Præpar. libro secundo: Πᾶσαν μὲν ὖν, inquit, τὴν Αἰγυπτιακὴν ἱστορίαν εἰς πλάτος τῆς Ἑλλήνων μετείληφε φωνῆς, ἰδίως τε τὰ περὶ τῆς κατ' αὐτὸς θεολογίας Μανεθὼς ὁ Αἰγύπτιος, ἔν τε ᾧ ἐγραψεν ἱερᾷ βίβλῳ, καὶ ἐν ἑτέροις συγγράμμασιν. hoc est: *Omnem historiam Ægyptiacam, propriéque quæ ad theologiam hujus gentis pertinent, fusè in Græcam transtulit linguam Manethos Ægyptius, cùm in sacro Opere quod scripsit, tum in aliis commentariis.* Per *Sacrum librum* intelligit Historiam, quam Manethos ab antiquissimis temporibus exorsus, perduxit usque ad tempora Darii Persarum regis, quem Alexander devicit. Historiam hanc tribus distinxerat tomis. Primo complectebatur τὰς θεῶν καὶ ἡμιθέων δυναστείας, *deorum heroúmque dynastias,*

dynastias, quæ numero fuere undecim: altero comprehendebat Dynastias octo: tertio tomo, Dynastias duodecim. Hanc autem historiam Manethos eruit ex columnis in Seriadica terra positis, quibus sacræ sive hieroglyphicæ notæ erant insculptæ à primo Mercurio, qui Ægyptiis Thoyth appellatus est: eæ verò postea ex sacra dialecto in Græcam versæ fuerunt, intérque libros in adyta Ægyptia relatæ ab Agathodæmone, secundo Mercurio, patre Tat, ut ex Eusebii Chronicis discimus. Manethonis fragmenta quædam adhuc extant apud Josephum, libro primo contra Apionem. Ægyptiacam historiam edidit etiam Ptolemæus Mendesius; de quo sic scribit Tatianus: Αἰγυπτίων δέ εἰσιν αἱ ἐπ' ἀκριβὲς χρόνων ἀναγραφαὶ, ἣν τὴν κατ' αὐτὲς πραγμάτων ἑρμηνεύς ὅτι Πτολεμαῖος, οὐχ ὁ βασιλεὺς, ἱερεὺς δὲ Μένδητος. id est: *Exstant Annales Ægyptiorum diligenter concinnati: & rerum iis contentarum interpres est Ptolemæus, non quidem rex, sed Mendesius sacerdos.* Mentio quoque fit ejus apud Justinum Martyrem Exhortatione ad Græcos. Apion grammaticus Alexandrinus, qui & ipse Ægyptiacôn libros quinque composuit, ex eodem Ptolemæo Mendesio refert, temporibus Amosis Ægyptii regis, Judæos ducẽ Mose exiisse ex Ægypto, ut ait Clemens Stromatum primo.

De rebus Phœnicum scripsit Sanchoniathon historicus ille vetustissimus, quem tempore Belli Troiani vixisse ait Suidas, Σαγχωνιάθων, Τύριος φιλόσοφος, ὃς γέγονε κατὰ τὰ Τρωϊκά. Theodoreto non Tyrius, sed Berytius dicitur. Porphyrius apud Eusebium Præpar. Evang. libro decimo, affirmat, Mosem & Sanchoniathonem, virorum ac locorum nomina similiter ponere: Sanchoniathonem verò sua partim hausisse ex Urbium Annalibus, partim è libris in Templo asservatis, quos acceperat ab Ierombalo, Dei τοῦ Ἰευὼ sacerdote: Philonem autem Byblium ea Sanchoniathonis scripta è Phœnicia lingua in Græcam transtulisse. De Phœnicum rebus quædam leguntur apud Herodotum. De Tyro libros aliquot à Teucro Cyziceno fuisse editos, testatur Suidas. De rebus Phœniciis scripsit Hieronymus, qui Phœniciæ Syriæque præfectus fuit ab rege Antigono, vel potiùs ab Antiocho Sotere: cujus scriptoris meminit Josephus libro primo contra Apionem. De Tyri regibus scripsit Menander Ephesius: cujus fragmenta quædam luculenta Josephus ibidem protulit: γέγραφε δὲ οὗτος, inquit, τὰς ἐφ' ἑκάστου βασιλέων πραξεις μετὰ πίστεως Ἕλλησι καὶ βαρβάροις ἱστορίας, ἐκ τῶν παρ' ἐκείνοις ὑπομνημάτων γραμμάτων ἀναδόσας τὴν ἰσοτείαν μαθεῖν. id est:

Scripsit (Menander Ephesius) *singulorum Actus Regum apud Græcos, & apud Barbaros: quos collegit ex libris provinciæ cujusque, quò magis historiæ fides constaret.* Apud Clementem Alexandrinum in primo Στρωμάτων citantur Menander Pergamenus & Laitus ἐν τοῖς Φοινικικοῖς, qui scripserint Hiramum filiam suam Salomoni uxorem dedisse, quo tempore post Troiæ excidium Menelaus in Phœnicen venit. Laitus sive Λάϊτος (qui corruptè Χαῖτος in quibusdam codicibus appellatur) trium historicorum Theodoti, Hypsicratis & Mochi libros è lingua Phœnicia in Græcam transtulit, ut ex Tatiano discimus. Theodoti mentio fit apud Josephum: Mochi meminit Athenæus libro tertio; & ipse Josephus Antiq. lib. 1. cap. 4. ubi Histiæus quoque & Hieronymus Ægyptius οἱ τὰ Φοινικικὰ συνταξάμενοι memorantur. Apud eundem libro primo contra Apionem laudatur Dius rerum Phœniciarum scriptor integerrimus: quem scilicet ἄνδρα περὶ τὰ φοινίκων ἱστορίαν ἀκριβῆ affirmat πεπραγματεῦσθαι fuisse. Ibidem testatur, apud Tyrios publica extitisse multorum annorum χρίσματα diligentissimè custodita.

Chaldaicam historiam & regum Babyloniorum gesta tribus libris perscripsit Berosus Babylonius, Beli sacerdos, ut ait Tatianus. Hunc historicum laudat Vitruvius libro nono. Plinius refert, Berosum tradere memoriam quadringentorum annorum & octoginta: qui sine dubio sunt anni Nabonassaris, ut observat doctissimus vir, Gerardus Vossius. Unde colligi potest, Berosum usque ad extrema tempora Antiochi Soteris perduxisse historiam. Ex Berosi Chaldaicis seu Babylonicis præclara quædam fragmenta conservavit nobis Flavius Josephus. De Assyriorum, Babyloniorum & Medorum rebus non pauca leguntur apud Herodotum, libro primo. Post Herodotum Ctesias Cnidius Ἀσσυριακὰ sex prioribus libris tractavit, ut docemur ex Photii patriarchæ Bibliotheca. Abydeni historiam Assyriam citavit Megasthenes, & ex Megasthene Josephus contra Apionem lib. 1. Juba historicus de Assyriorum rebus libros composuit duos: in quibus multa eum ex Beroso excerpsisse indicat Tatianus: Βηρωσὸς δέ ὅτιν ἀνὴρ ἱκανώτατος, inquit, καὶ τάτε τεκμήριον Ἰόβας περὶ Ἀσσυρίων γράφων, ὧδε Βηρωσῷ φησι μεμαθηκέναι τὰ ἱστορίαν. id est: *Berosum locupleti fsimum esse testem, vel ex Jubæ de Assyriis scripta constat historia, quam se ab illo accepisse fatetur.*

Græcorum res antiquissimas fabulis involutas consignarunt, qui

qui Θεογονίαν, hoc est, *De ortu & genealogiis deorum* scripsere. Theogoniam post Hesiodum Acusilaus Argivus & Eumelus Corinthius edidisse dicuntur. Sic enim Clemens Strom. 6. Τὰ δὲ Ἡσιόδου μετέλαξαν εἰς πεζὸν λόγον, ὡς ἴδια ἐξήνεγκαν Εὔμηλός τε καὶ Ἀκουσίλαος, οἱ ἱστοριογράφοι id est: *Eumelus & Acusilaus historiographi, ea quæ Hesiodus scripsit, cùm in sermonem pedestrem transtulissent, ut sua ediderunt.* Ex istis, aliísque multis autoribus, quicquid traditum est de fabulis antiquis, in compendium ac synopsin redegit Apollodorus Atheniensis, cujus hodiéque libri tres titulo Βιβλιοθήκης supersunt. Res gestas Jovis, & cæterorum, qui dii putabantur, collegit Euhemerus, qui fuit ex civitate Messana; historiámque contexuit ex titulis & inscriptionibus sacris, qui in antiquissimis templis habebantur, ut scribit Lactantius. Euhemeri Historiam interpretatus est Ennius, ut testantur Varro lib. 1. de Re Rustica, & Cicero De Natura Deorum lib. 1. Titanomachiam scripsisse fertur idem, quem dixi, Eumelus (cui tribuitur etiam Historia Corinthiaca) aut, ut aliqui putarunt, Arctinus, qui Æthiopida composuit. Meminit Athenæus in septimo Deipnosophistarum. Vide & Pausaniam, Corinthiacis. De Diis scripsit etiam Chamæleon Heracleotes. Eum in opere περὶ Θεῶν citat Clemens Strom. 1. De Bacchi & Minervæ expeditione scripsit Dionysius Mitylenæus, qui Σκυτοβραχίων vocatus est, ut ait Suidas. Diodorus Siculus libro tertio Dionysium vetustum historicum commemorat; quem scripsisse dicit Bacchi & Amazonum historiam, & Argonautarum expeditionem, résque ad Ilium gestas, & multas alias antiquas μυθοποιίας. De Hercule scripsit Herodorus, quem citant Stephanus & Athenæus. Cononis Narrationes, quas paucis constrinxit Photius, pleræque ad Tempus μυθικὸν sive Heroicum pertinent.

Argivorum, Thebanorum, Athenienſium Reges antiquissimi recensentur apud Apollodorum, & Pausaniam. Deucalionis numerosam progeniem habes apud eundem Apollodorum. De Cecrope quædam memoriæ prodidit Antiochus sive Antilochus historicus, cujus meminere Clemens, Arnobius, & Theodoretus. Deucalionia scripsit Hellanicus; cujus operis fit mentio apud Athenæum, Stephanum, & Clementem Stromatum sexto.

Argonautarum expeditionem literis tradiderunt Orpheus Crotoniata, sive is est Onomacritus, & Epimenides Cnossius; item Cleon,

Cleon, à quo Apollonius Rhodius omnia ferè transtulit, ut notat ipsius Apollonii doctissimus Scholiastes. Dionysius Mitylenæus oratione solutâ scripsit Argonautica, teste Suida. Dionysii Milesii Argonautica citat Apollonii Interpres.

Thebaidem sive de bello Thebaico scripsit vetustissimus autor, qui Homerus esse putatur, ut docet Pausanias. Idem argumentum tractarunt Æschylus, Antimachus, alii. Antimachi Thebais κυκλικὴ citatur à Grammaticis. Dicitur autem *cyclicum poëma*, quo tota historia ab ipsis initiis ad finem usque ordine recitatur.

Troica, sive Res ad Ilium gestas, ante Homerum Dares Phrygius & Dictys Cretensis scripsisse dicuntur. Dictys (ut refert Suidas) novem libris Bellum Troianum consignavit. Daretis Phrygiam Iliadem suâ etiamnum ætate extitisse ait Ælianus Var. hist. lib. 11. cap. 2. Ἰλίου πέρσιν, id est, *Ilii excidium*, scripsere Lesches, Acatus sive Sacadas Argivus, & Stesichorus, ut ex Pausania, Athenæo & Harpocratione cognoscimus. Cephalon Gergithius rerum Troicarum scriptor antiquissimus Straboni & Dionysio Halicarnassensi memoratur. Hellanicus ἐν τοῖς Τρωϊκοῖς apud eundem Dionysium citatur. Stephanus quoque & Harpocration Troicorum Hellanici meminerunt. Troica Palæphati laudantur ab Harpocratione: & Troica Metrodori Chii citat Athenæus. De parentibus & majoribus eorum, qui ad Troiam militarunt, scripsit Damastes Sigeensis, Hellanici discipulus, ut apud Suidam legimus. Græcorum reditum à Troia scripsit Eumolpus Corinthius, cujus fit mentio apud Pindari Scholiastem ad Olymp. 13. Autorem anonymum, qui Νόστους scripsit, non semel adducit Pausanias, Phocicis. Cypriorum carminum autor, ὁ ποιήσας Ἐπη τὰ Κύπρια, qui simile videtur argumentum tractasse, ab eodem Pausania laudatur.

De antiquissimis Urbium conditoribus librum composuit Hellanicus, quem Κτίσεις ἐθνῶν καὶ πόλεων inscripsit. Meminit Ethnicôn scriptor, in Χαριμάται. Post Hellanicum Dionysius Chalcidensis Κτίσεις, sive *Origines civitatum*, libris quinque complexus est, teste Marciano Heracleotâ in περιηγήσει. Apud Harpocrationem laudatur Διονύσιος ὁ Χαλκιδεὺς ἐν τρίτῳ Κτίσεων, & ἐν πέμπτῃ Κτίσεων. Ità enim legendum rectè monet doctissimus Maussacus, ad vocem Ἡραιεῖα, ubi & alios quosdam Κτίσεων autores recenset. Apud Plutarchum Parallelis, Trisimachus ἐν τρίτῳ Κτίσεων, & Dercyllus ἐν πρώτῳ Κτίσεων, nominantur. Cadmus Mi-

lesius

lesius Κτίσιν Μιλήτε, καὶ τῆς ὅλης Ἰωνίας, *Origines Mileti, & totius Ioniæ* conscripsit, teste Suida. De Codro, Nileo, & Ionicis coloniis, Panyasis versu pentametro scripsisse dicitur, ut in ejusdem Suidæ Collectaneis legimus.

Messeniaca Myron Prienensis condidit; hoc est, historiam Belli, quod à Lacedæmoniis eorúmque sociis, cum Messeniis & aliis, qui auxilio iis venere, gestum fuit. Ejusdem argumenti historiam carmine scriptam edidit Rhianus Benæus. Utrumque scriptorem memorat Athenæus. Pausaniæ locus illustris est, in Messenicis: Τοῦτον δὲ τὸν Μεσσηνίων τὸν πόλεμον Ῥιανός τε ἐν τοῖς ἔπεσιν ἐποίησεν ὁ Βηναῖος, καὶ ὁ Πριηνεὺς Μύρων· λόγοι δὲ πεζοὶ Μύρωνός ἐστιν ἡ συγγραφή. id est: *Hoc bellum Messeniacum scripsere Rhianus Benæus versibus, & Prienensis Myron, qui solutâ oratione id fecit.*

Atticas antiquitates libris decem exposuit Pherecydes Lerius, qui & Athenienſis dictus est. Hoc opus Ἀυτόχθονας inscripsit, in quo scilicet Athenienses esse indigenas, ostenderat. Junior hic fuit Pherecyde Syrio philosopho: uterque tamen antiquior est Herodoto. Duos Pherecydas nominat Strabo libro decimo, alterum Syrium, alterum Athenienſem. Hujus historici meminerunt præter Ciceronem libro secundo De Oratore, Stephanus, Pollux, & Apollonii Rhodii Interpres, qui decimum & duodecimum Pherecydis historiarum librum adducit. Atticas res scripsit Clitodemus; de quo Pausanias, in Phocicis: Κλειτόδημος δὲ ὁπόσοι τὰ Ἀθηναίων ἐπιχώρια ἐγράψαν ἀρχαιότατος. hoc est: *Clitodemus, eorum qui res Atticas scripserunt, antiquissimus autor.* Atticam historiam libris 17 condidit Philochorus, quam Ἀτθίδα inscripsit. Complectebatur res gestas Athenienſium, eorúmque Reges & Prætores, usque ad tempora Antiochi Θεοῦ, teste Suida. De rebus Atticis libros 12 edidit Marsyas Pellæus, frater Antigoni ejus, qui post Alexandrum Magnum regnavit, ut apud Suidam legimus. Androtionis Ἀτθὶς sive Rerum Atticarum commentarii Pausaniæ non semel memorantur. Apud Stephanum in Γρυπίνος citatur Androtion ἔκτῳ Ἀτθίδος, & Ἀνδροτίων ἐν πέμπτῳ τῆς Ἀτθίδος apud Harpocrationem in Ἀγνίας. Euphorionis Μυσία (quo nomine Attica olim dicta fuit) Suidæ nominatur. Melanthium ἐν δευτέρᾳ Ἀτθίδος citat Harpocration in Γρυπίνιον. Idem Melanthius De mysteriis Eleusiniis scripsit, ut ex Athenæo discimus.

Lydiacorum libros quatuor composuit Xanthus Candaulis filius,

us, historicus Sardianus, qui eo tempore vixit, quo Sardes captæ sunt. Hujus meminit præter Suidam & Athenæum Diogenes Laertius in Prooemio. Apud Strabonem libro 12. ὁ τὰ Λύδια συγγράψας Ξάνθος, id est, *Xanthus Lydiæ historiæ conditor*, & lib. 13. ὁ παλαιὸς συγγραφεὺς Λυδός, *antiquus historiæ scriptor Lydus* dicitur. Dionysius Halicarnasseus libro primo, hunc Xanthum ait ἱστορίας παλαιᾶς εἰ καί τινα ἄλλον ἔμπειρον εἶναι, τὴν δὲ πατρίου καὶ βεβαιωτήν. Hujus Lydiaca non semel advocat Ethnicographus. Apud Plutarchum Parallelis citatur Dositheus ἐν τρίτῳ Λυδιακῶν. De Lydorum rebus scribit etiam Herodotus in primo.

Persarum & Græcorum res gestas ad sua tempora perscripsit Herodotus. Ante Herodotum Charon Lampsacenus de rebus Persicis libros duos, teste Suidâ, conscripsit: quos citat Plutarchus in Vita Themistoclis. Dionysius quoque Milesius Ionicâ dialecto ante Herodotum Περσικὰ composuit, ut ex Suida cognoscimus. Dinonis Persica laudantur à multis scriptoribus, Cornelio Nepote, Plutarcho, Plinio, Athenæo, Laertio. Pharnuchi historiam Persicam adducit Stephanus in Ἀντιόχεια. Agatharchidem Samium in secundo Rerum Persicarum citat Plutarchus Parallelis. Heraclides Cumanus ὁ τὰ Περσικὰ συγγράψας, apud Athenæum lib. 4. memoratur: quem ἐν πέντε βιβλίοις Persica tractasse dicit Laertius. Ctesiæ fragmenta de rebus Persicis apud Photium exstant. Cambysis & Darii imperium, & Xerxis prælium navale cum Græcis, pugnámque ad Artemisium Simonides Ceus versibus elegiacis descripsit. Idem pugnam Salaminiam carmine lyrico panxit, ut docet Suidas. Chærilus poeta victoriam, quam Græci à Xerxe retulerunt, carmine descripsit, ut apud Hesychium Milesium legas. Cyri minoris expeditionem adversus fratrem Artaxerxem Xenophon Grylli F. qui bello interfuit, perscripsit eo opere, quod Κύρου ἀνάβασιν nuncupavit. Eandem historiam à Themistogene Syracusano scriptam fuisse, indicat ipse Xenophon, initio tertii Ἑλληνικῶν.

Res Siculas primus literis mandasse dicitur Hippys Rheginus; cujus scripta Myes postea in compendium redegit, ut refert Suidas; qui Hippyn Darii & Xerxis temporibus fuisse notat. Hujus vetusti scriptoris meminit Plutarchus libro De Oraculorum defectu. Antiochus Syracusanus nobilis rerum Sicularum scriptor, historiam libris novem à Cocalo rege ad initium imperii Darii Nothi, deduxit, teste Diodoro Siculo. Philistus, qui & ipse Syracusius, homo

homo doctus & diligens (ut de eo judicat M. Tullius) res Siculas libris undecim complexus est. Σικελικὰ libris octo condidit Timæus Andromachi F. qui in ea Operis parte, quæ erat de rebus Græcis & Siculis, diligentem habuit veritatis rationem: non item, ubi ad res Agathoclis deventum; à quo Siciliâ erat ejectus. Agathoclis res gestas ante Timæum scripsit Callias Syracusanus; cujus meminit Dionysius Halicarnassæus, & Festus Pompeius in *Romam*. Suidas notat, Calliam donis ab Agathocle corruptum, omnia ad Regis arbitrium scripsisse. Agathoclis historiam conscripsit etiam Duris Samius: cujus Operis librum decimum citat Athenæus. Historiam Dionysii tyranni composuit Polycritus Mendęus, quem citat Laertius in Æschine. Apud Aristotelem legimus, Polycritum τοῖς ἔπεσι (versu heroico) res Siculas scripsisse. Ex Athane quædam affert Plutarchus in Timoleonte: & apud Athenæum citatur Ἄθανις ἐν πρώτῳ Σικελικῶν. Res Siculas literis tradidit Hermeas Methymnæus: quarum librum tertium adducit Athenæus. Apud Plutarchum in Parallelis citantur Aristides Milesius, & Dositheus, ἐν Σικελικοῖς. Silenus Calatianus rerum Sicularum scriptor Dionysio Halicarnassensi & Athenæo memoratur.

Macedonicarum rerum libros decem condidit Marsyas Pellæus. Opus illud ordiebatur à primo Macedoniæ Rege Carano, ac terminabat Alexandri in Syriam ingressu, ut docet Suidas. Macedonica scripsit etiam Duris Samius; cujus Operis librum septimum citat Athenæus. Μακεδονικὰ Callisthenis & Aretadæ Cnidii citantur apud Plutarchum in Parallelis. Ephorus Historiam annorum ferme DCCL contexuit: orsus autem fuit ab reditu Heraclidarum, ac desiit in vigesimo Philippi Macedonum regis anno, teste Diodoro Siculo. Philippicas historias de rebus ab eodem Philippo gestis Theopompus Chius libris octo & quinquaginta complexus est, ut docet idem Diodorus.

Peloponnesiacum Bellum accuratissimè scripsit Thucydides, qui eo tempore vixit, & rebus interfuit. Quæ à Thucydide omissa erant, collegit Cratippus historicus, ut ex Dionysio Halic. discimus. De rebus Græcorum gestis post Bellum Peloponnesiacum, historiam annorum octo & quadraginta narrat Xenophon Grylli F. in Ἑλληνικοῖς. Fecit idem Theopompus: sed hic sexdecim tantùm annos complexus fuit, ut ex Diodoro Siculo cognoscimus. Leu-

ctricum Bellum, quod Epaminonda duce à Thebanis geſtum eſt, ſcripſit Hegemon poeta epicus, cujus meminit Stephanus in Ἀλεξάνδρεια. Hellenica ſcripſit Calliſthenes, de rebus Græcorum geſtis ab eo anno, quo facta eſt Pax Antalcidæ, ad annum, quo templum Delphicum à Philomelo captum & expilatum fuit, teſte Diodoro.

Belli Sacri hiſtoriam Demophilus Ephori hiſtoriographi filius à patre omiſſam, perſecutus eſt; nempe à quo tempore Philomelus templum Delphicum occupavit, ut docet Diodorus Siculus. A ſacrilegio Philomeli hiſtoriam exorſus Diyllus Athenienſis, res Græciæ & Siciliæ libris ſeptem & viginti perſcripſit. Idem hiſtoricus alterum opus indè auſpicatus, ubi Ephorus hiſtoriam finierat, Græcorum & Barbarorum geſta uſque ad Philippi Regis obitum pertexuit, teſte Diodoro. Hiſtoriam Belli Sacri ſeu Phocici ſcripſit etiam Cephiſodorus; cujus Operis librum duodecimum citat Euſtratius, qui in Ethica Ariſtotelis commentarios reliquit. De Bello Sacro ſcripſit etiam Leo Alabandenſis, ſive Leo Byzantius, ut apud Suidam legas.

De rebus ab Alexandro M. geſtis ſcripſere Ptolemæus Lagi F. & Ariſtobulus, ipſius Alexandri comites: quos Arrianus ſe in primis ſequi profitetur. Alexandri expeditionum comes fuit etiam Clitarchus, qui & hiſtoriam condidit de rebus à Rege ſuo geſtis: meminit ejus Plutarchus in Vita Alexandri. Res ab eodem Rege geſtas literis tradidere Calliſthenes, & Nearchus: ex quibus multa adducit Strabo. Alexandri Ephemeridas ſcripſerunt Eumenes Cardianus, & Diodotus Erythræus, quorum fit mentio apud Athenæum: item Strattis Olynthius, teſte Suida. Inter ſcriptores rerum ab Alexandro geſtarum fuere etiam Ariſtus & Aſclepiades, quorum meminit Arrianus. Dorotheum quoque & Charetem Mitylenæum citat Athenæus: Menæchmum Sicyonium nominat Suidas. Nymphis Heracleotes (apud eundem Suidam) dicitur ſcripſiſſe περὶ Ἀλεξάνδρου, καὶ τῶν διαδόχων, καὶ ὑπογόνων, *De Alexandro, ejuſque ſucceſſoribus, & eorum poſteris.* Hieronymus Cardianus τὰ περὶ τοὺς ἀπὸ ὑπογόνων πραγματείαν, id eſt, *hiſtoriam de ſucceſſoribus Alexandri* ſcripſit, ut ex Dionyſio Halic. cognoſcimus. Sed & de ipſius Alexandri geſtis eundem ſcripſiſſe refert Suidas. Hieronymum τὰ περὶ τοὺς διαδόχων ἱστορίαν condidiſſe legimus etiam apud Joſephum libro primo contra Apionem: quod opus Hieronymo Syriæ præfecto ibi tribui videtur.

De

De rebus Indicis scripsit Onesicritus, qui ab Alexandro Magno ad Indiæ Sophistas missus fuit. Multa ex hoc scriptore refert Strabo. Quinque autem rerum Indicarum nobiles scriptores nominat; Onesicritum, Nearchum, Megasthenem, Deimachum, & Patroclem. Megasthenis meminere præter Strabonem Cicero, Athenæus, & alii. Eum apud Indorum reges commoratum, ut omnia bonâ fide traderet, testantur Plinius, Solinus, & Arrianus. Megasthenis Fragmentum luculentum legere est apud Josephum lib. 1. contra Apionem. De rebus Indicis multa etiam ex Aristobulo adfert Strabo. Daimachus legationem obivit ad Allitrochadem Sandrocotti filium, Indiæ regem. Hujus Daimachi sive Deimachi historiam Indicam citat Athenæus: & apud Harpocrationem in Ἐγγυθήκη, Δαίμαχος ὁ Πλαταιεὺς ἐν τοῖς περὶ Ἰνδικῆς citatur. Patrocles Seleuci Nicatoris & Antiochi temporibus, mare Indicum classe lustravit, ut ait Plinius. Patrocli præ cæteris fidem habendam dicit Strabo. Alios rerum Indicarum scriptores citat Plutarchus libro De Fluminibus; Chrysermum scilicet, & Clitophontem Rhodium, & Cæmaronem. Orthagoram citat Ælianus Hist. Animal. lib. 16.

Asiaticas res libris decem scripsit Agatharchides. Idem de Europæ rebus historiam quadraginta novem libris pertexuit. Præterea, libros quinque De Rubro mari edidit, teste Photio. Egregium ex Agatharchide Fragmentum adducit Josephus lib. 1. contra Apionem.

Libycam historiam scripsit Lycus Rheginus, Demetrii Phalerei æqualis, Lycophronis poetæ pater, ut ex Suida cognoscimus. Historiæ Libycæ libros tres edidit Aristippus Cyrenaicus, quos Dionysio Siciliæ tyranno nuncupavit, uti refert Laertius. Libyca Jubæ & Hegesianactis citat Plutarchus Parallelis. Theochrestus, & Agrætas rerum Libycarum scriptores apud Scholiastem Apollonii Rhodii nominantur.

De Origine Urbis Romæ primus è Græcis scripsit Diocles Peparethius, quem in plurimis secutus est Fabius Pictor, ut ait Plutarchus in Vita Romuli. Italicam historiam scripsit Antiochus Syracusanus; quem citant Strabo, Dionysius Halic. Stephanus, alii. Apud Festum in *Romam* mendosè legitur, *Antigonus Italicæ historiæ scriptor.* Res Italicas literis mandarunt alii multi, Aristocles Rhodius, Pythocles Samius, Aristides Milesius, Alexarchus,

Clitonymus, Dercyllus, Doſitheus, Dorotheus, Menylus, Ariſtobulus, Chryſippus, Ageſilaus, Theophilus, & Theotimus: quorum omnium meminit Plutarchus in Parallelis.

Pyrrhi res in Italia & Sicilia geſtas ſcripſit Zeno hiſtoricus, teſte Laertio. De bello Romanorum cum Pyrrho commentarium reliquit Timæus, ut teſtatur Dionyſius Halicarnaſſenſis. Hiſtoriarum libros duodetriginta ſcripſit Phylarchus, ab expeditione Pyrrhi in Peloponneſum, uſq; ad mortem Ptolemæi Euergetæ, & Cleomenis Lacedæmonii. Hoc Phylarchi Opus citant Plutarchus & Athenæus.

Hiſtoria apud Romanos olim nihil aliud erat, niſi Annalium confectio: cujus rei memoriæque publicæ retinendæ cauſâ ab initio rerum Romanarum uſque ad P. Mucium pontificem maximum, res omnes ſingulorum annorum mandabat literis Pontifex Maximus, referebátque in album, & proponebat tabulam domi, poteſtas ut eſſet populo cognoſcendi: híque Annales Maximi nominabantur; ut ait Cicero lib. 2. de Oratore.

Rerum Romanarum hiſtoriam ſive Annales Græcè ſcripſit Numerius Fabius Pictor, cujus meminit Cicero libro primo de Divinatione. Apud Dionyſium Halicarnaſſeum Quintus Fabius dicitur unus ex vetuſtiſſimis Romanorum hominum, qui Urbis ſuæ res antiquas Græco ſermone ſcripſerunt. Et celebrem quidem illum hiſtoricum Appianus Κόϊντον Φάβιον appellat. Videtur ergò diverſus ab Numerio Fabio Pictore, cujus Cicero meminit. At Latinè Q. Fabium Pictorem hiſtoriam condidiſſe ait Cicero, in ſecundo de Oratore, & primo de Legibus. Prænomen igitur corruptum eſt aut in Dionyſii codicibus, aut apud ipſum Ciceronem: niſi forſan Q. Fabius partim Latinè, partim Græcè ſcripſerit. Qua de re diſputat doctiſſimus Voſſius libro primo De Latinis Hiſtoricis. Fabium Pictorem atque Philinum hiſtoricos reprehendit Polybius, qui veritatem quâ fide oportuit nequaquam retulerunt. Accidit enim illis quippiam, quale amantibus ſolet. Nam ob ſtudium partium, Philino quidem Karthaginienſes omnia prudenter, rectè, fortiter videntur feciſſe; Romani ſecús: Fabius verò contrarium pronuntiat. Vide Polybium lib. 1.

Originum ſeu hiſtoriarum libros ſeptem M. Porcius Cato ſenex ſcripſit; quorum Primus continebat res geſtas Regum populi Romani

mani: secundus & tertius, unde quæque civitas orta sit Italica: ob quam rem omnes ORIGINES videtur appellasse. In quarto autem libro, bellum Punicum primum consignavit, quod Nævius carmine descripserat: in quinto bellum Punicum secundum pertexuit: in sexto & septimo reliqua bella Romanorum Cato persecutus est, usque ad præturam Serv. Galbæ, qui diripuit Lusitanos. Hoc Catonis opus historicum laudat Cicero, in Bruto. In his autem libris exposuit, quæ in Italia, Hispaniisq; viderentur admiranda, ut refert Cornelius Nepos.

Historiam Annibalicam edidit L. Cincius Alimentius, vir ordinis Senatorii. Hunc Fabii Pictoris æqualem fuisse, & annales Græcè consignasse, testatur Dionysius Halicarnassensis. Sæpius ejus mentio fit apud Livium. Rerum ab Annibale gestarum historiam scripserunt etiam Philænius, & Sosilus sive Sophilus, quo Annibal Græcarum literarum usus est doctore, ut ait Corn. Nepos in Vita Annibalis. Eumachius quoque Neapolitanus ἱστορίας περὶ τοῦ Ἀννίβου scripsit, teste Athenæo. De bello Punico historiam condidit Lucius Cælius Antipater: quem historicum tanti fecit M. Brutus, ut in compendium redigeret. Id indicant verba Ciceronis ad Atticum, libr. 13. epist. 8. *Epitomen Bruti Cælianorum velim mihi mittas.* Citant eum Livius, Festus, Gellius, & alii.

De rebus Achæorum historiam conscripsit ipse Aratus Sicyonius, qui patriam suam junxit Achæorum Reipublicæ, eorúmque Prætor factus, multa præclarè gessit. Meminit ejus commentarii Plutarchus. Autocratis Ἀχαϊκὰ citantur apud Athenæum.

Ptolemæi Philopatoris res gestas scripsit Ptolemæus Agesarchi filius, Megalopolitanus: cujus scriptoris Athenæus, Clemens Alexandrinus & Arnobius meminerunt. Antiochi Magni & Eumenis Pergameni res gestas scripsit Phylarchus, teste Suida.

Res Romanas Græcè scripsit A. Postumius Albinus, qui consul fuit anno Urbis 603. ut docet Cicero in Bruto. Græcâ linguâ historiam Romanam scripsit etiam P. Rutilius Rufus, qui consul fuit anno Urbis conditæ 649. Hujus libros citant Velleius, Plutarchus, & Gellius. Multa ex iis in Iberica sua transtulit Appianus, ut ipse fatetur. Caium Acilium rerum Romanarum scriptorem citat Plutarchus in Romulo. Annales autem Acilianos ex Græco in Latinum sermonem vertit Claudius, teste Livio libro 25.

Annales

Annales rerum Romanarum ſcripſit L. Calpurnius Piſo, qui Frugi dictus eſt. Is, cùm Tribunus plebis eſſet, legem primus de pecuniis repetundis tulit, anno poſt Urbem conditam 605. Piſonis annales (quos exili ſtylo ſcriptos eſſe ait Cicero) citant Varro, Dionyſius Hal. Plinius, Plutarchus, & alii. L. Caſſius Hemina annalium libros quatuor compoſuit; qui auſpicatus ab rebus Italis, quæ Urbis natalem antecedunt; hinc, quæ ſub Regibus contigerunt, exaravit; atque indè perduxit hiſtoriam uſque ad ſua tempora. Vixit autem anno Urbis conditæ 608. Hoc Caſſii Heminæ opus citatur à Plinio, Macrobio, Servio, & aliis. Caius Fannius, qui ſub Scipione Æmyliano militavit in Africa, de rebus Romanis hiſtoriam ſive annales edidit. Horum annalium meminit M. Tullius libro ſecundo de Orat. & primo de Legib. item ad Atticum lib. 12. epiſt. 5. ubi & indicat, à Bruto fuiſſe in compendium redactos. Vocat enim ibi *Bruti epitomen Fannianorum*.

Romanarum hiſtoriarum multos ſcripſit libros Sempronius Aſellio; quem ſub P. Scipione Africano tribunum militum ad Numantiam fuiſſe, réſque eas, quibus ipſe interfuit, ſcriptis prodidiſſe, ait Aulus Gellius. Dionyſius eum inter diſertiſſimos Romanorum hiſtoricorum reponit. Clodium Licinium rerum Romanarum ſcriptorem citat Livius lib. 29.

Hiſtorias rerum Romanarum condidit L. Siſenna, exorſus ab iis, quæ contigere poſt urbem à Gallis captam: deſiit autem in rebus Syllæ. Meminit ejus Velleius Paterculus lib. 2. cap. 9. Omnes hiſtoricos, qui ante ſe fuere, facilè ſuperavit, ut ait M. Tullius. Hiſtorias etiam ſive annales conſcripſit Claudius Quadrigarius: multa ex iis adducit Livius, longè plura A. Gellius, nec pauca Macrobius. Ex hoc hiſtorico illuſtre fragmentum eſt apud Senecam, de Beneficiis lib. 3. cap. 23. Gellii hiſtorici librum trigeſimum tertium citat Chariſius. De rebus Romanis annales ſcripſit Q. Valerius Antias, grande opus. Nam librum ſeptuageſimum quintum citat Aulus Gellius. Multa ex hoc ſcriptore refert Livius. Licinius Macer rerum Romanarum libros (quos Nonius Annales vocat) conſcripſit. Pluſcula ex iis adfert T. Livius, qui libro quarto autor eſt, ab hoc Macro Licinio identidem citari linteos magiſtratuum libros, qui repoſiti erant in æde *Monetæ*.

Philippi & Perſei Macedoniæ Regum, qui adverſus Romanos bella

bella gesserunt, gestas res literis tradidit Strato historicus, cujus meminit Diogenes Laertius.

Belli Numantini historiam P. Rutilius Rufus Græcè composuit, qui in eo bello tribunus militum fuit sub Consule P. Scipione Æmyliano, ut ex Appiano docet Suidas in Ῥοῦφος. Polybium quoq; de bello Numantino scripsisse testatur Cicero epist. ad Lucceium. Mithridaticarum rerum libros quinq; reliquit Teucer Cyzicenus, teste Suida. Bellum Jugurthinum & Catilinarium scripsit Caius Sallustius Crispus: quæ duo opuscula ejus integra ad nos pervenerunt. Ex nobili ejus Historiarum opere tantùm fragmenta habemus. Belli Socialis, quod & Marsicum & Italicum appellatur, historiam scripsit L. Lucceius, ut indicat Cicero Famil. Epist. lib. 5. epist. 12. Eandem historiam Græcè L. Lucullus conscripsit, teste Plutarcho.

De bello Gallico libros septem scripsit C. Julius Cæsar, & tres de bello Civili. Librum octavum de Cæsaris bello Gallico scripsit Hirtius, teste Suetonio. Ejusdem esse libros de bello Alexandrino, & de bello Africano, viri docti censent: libri autem de bello Hispaniensi autorem esse Oppium: quem amicum Cæsaris vocat Suetonius.

Consulatûs sui historiam M. Tullius Cicero Græcè conscripsit, ut satis constat ex ipsius ad Atticum epistolis, & ex Plutarcho in Cæsare. Latinè idem argumentum tractavit, sed carmine, idq; tribus libris; quorum ipse meminit Epist. Fam. lib. 1. ep. 9. De consulatu Ciceronis historiam quoque Græcè scripsit Titus Pomponius Atticus, ut in ejus vita testatur Cornelius Nepos.

Romanarum historiarum ab Urbe condita usque ad bellum in Germania gestum à Druso, ejúsque mortem, scripsit vir disertissimus Titus Livius Patavinus libris 140. Ex illis soli supersunt 35. Nam secunda periit Decas, & quicquid sequebatur librum 45. Cæterorum nihil habemus, præter argumenta, quæ Epitomê Livianâ continentur, sive ejus Florus, sive alius est autor.

¶ Particularis historiæ sive τῆς τοπικῆς ἱστορίας autores, qui unius alicujus gentis vel civitatis res scripto consignarunt, passim occurrunt apud Stephanum, Suidam, Athenæum, Plutarchum, Strabonem, & Græcorum Poetarum Interpretes, ut accuratè ostendit Ger. Vossius. Eorum catalogum hîc breviter exhibemus.

Scripserunt

ÆGinetica: Pythænetus.
Æolica: Hecatæus, & Staphylus.
Æthiopica: Simonides junior, Philo, & Bion Solensis.
Ætolica: Diocles Rhodius, & Nicander.
de Amazonibus: Possis Magnesius.
Ambraciotarum res: Athanadas.
Arabica: Uranius, Glaucus, Teucer Cyzicenus, & Sunius.
Arcadica: Architimus, Demaratus, Staphylus, & Aristippus.
Argolica: Dinias, Ister, & Telesarchus.
Arimaspia: Aristeas Proconnesius.
de Attacorum gente: Amometus.
Bithyniaca: Asclepiades Myrleanus, & Demosthenes Bithynus.
Bœotica: Ctesiphon, & Meryllus.
de Byzantio: Teucer Cyzicenus.
Carica: Apollodorus, Theagenes, Philippus, & Leo Alabandensis.
de Chio insula: Zeneus.
Coica: Macareus.
Colophoniaca: Xenophanes, Nicander, & Ergias.
Corinthiaca: Theseus historicus.
Cretica: Dosiades, Echemenes, Pyrgion, Xenion, & Soficrates.
Cypriaca: Astynomus, Timomachus, Philostephanus, & Hellanicus.
Cyrenaica: Acesander, & Acestor.
Cyzicenorum res: Diogenes Cyzicenus, Deilochus, Agathocles Babylonius.
Dardanica: Hegemon, cujus meminit Ælianus Hist. anim. l. 8. c. 11.
Deliaca: Anticlides, Semus, & Phanodicus.
Dorica: Pythagoras historicus, cujus meminit Laertius.
Ephesiorum res: Xenophon Ephesius.

Epirotica:

Epirotica: Aſpaſius Tyrius, & Critolaus.
Euboica: Archemachus.
Galatica, ſive Gallica: Calliſthenes Sybarita, Timagenes, & Clitophon.
de Gallorum tranſitu in Aſiam: Demetrius Byzantinus.
de Helleſponto: Pauſanias Lacon.
Heracleæ Ponticæ hiſtoriam: Nymphis, Herodorus, & Memnon.
Iberica: Softhenes Cnidius.
Laconica: Pauſanias Lacon, Molpis, & Perſeus.
Lesbiaca: Hellanicus, & Myrtilus.
Lyciaca: Polycharmus, Menecrates, & Leo Alabandenſis.
de Macronibus gente Pontica: Herodorus.
Magnetica: Poſſis Magneſius.
Megarica: Dieuchidas, & Hegeſagoras.
de Mileto, & Mileſiis: Ariſtocritus, Leander, Clitus, & Hegeſippus.
Naxica: Aglaoſthenes, & Andriſcus.
τῶν Νησιάδων, ſive *de Inſulis*: Philoſtephanus, Semus, Xenagoras.
Neſiotica ſcripſit etiam Aretades Cnidius.
Orchomeniorum res: Callippus Corinthius.
Palleniaca: Hegeſippus, & Themiſon.
Parthica: Apollodorus Artemita, & Seleucus Emeſenus.
de Pelaſgis: Myrſilus ſive Myrtilus.
Peloponneſiaca: Diogenes Sicyonius, Chryſermus, Pyrander, & Theophilus.
de Pergamo & regibus Pergamenis: Semus, & Telephus.
Phrygiaca: Hermeſianax, Metrophanes, & Hermogenes.
de Ponto: Andron.
de Pyramidibus: Duodecim Scriptores apud Plinium Nat. hiſt. lib. 36.
Rhodiaca: Antipater, Dionyſius Thrax, Ergias, Polyzelus, & Zeno Rhodius apud Laertium.
Samiorum res: Aëthlius, & Alexis Samius.
de Samothrace: Idomeneus Lampſacenus, & Calliſtratus.
Scythica: Hellanicus, Agrætas, Agatho, Cteſippus, & Timonax.
Sybaritica: Clitonymus.
Telchiniacam hiſtoriam: Teleclides, vel Epimenides Cretenſis.
Thebaica: Lyſimachus Alexandrinus apud Sophoclis Schol.

de Theſprotis: Eugamon ſive Eugrammon Cyrenæus.
Theſſalica: Archinus, Philocrates, & Staphylus.
de Theſſalonica: Lucillus Tarrhæus.
Thracica: Calliſthenes, & Socrates hiſtoricus.
de Trallenſibus: Apollonius hiſtoricus.
Tyrrhenica, ſive res Hetruſcorum: Soſtratus.
Umbricam hiſtoriam: Zenodotus Trœzenius apud Dionyſ. Hal.

Omnigenæ hiſtoriæ libros 42 ſcripſit Alexander Polyhiſtor: cujus citantur Ægyptiaca, Phrygiaca, περὶ Βιθυνίας, Carica, Cretica, Lyciaca; de Aſia, Paphlagonia, Syria, Cypro, Ponto Euxino, Europa: Librum ejus de Judæis adducit Clemens Alexandrinus: & penè integrum ejus librum exſcribit Euſebius Præp. 9.

Rerum Mirabilium hiſtoriam ſcripſerunt Crates Pergamenus, à Plinio citatus; & Dorotheus medicus, cujus Phlegon meminit. Palæphatus Parius περὶ ἀπίστων ἱστοριῶν quinque libros ſcripſit, ex quibus hodie primus tantùm ſupereſt. Exſtat Ariſtotelis libellus περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων. Antigonus Caryſtius ἱστοριῶν παραδόξων συναγωγὴν, id eſt, *mirabilium hiſtoriarum collectanea* edidit, quæ hodiéque ſuperſunt.

De viris illuſtribus multi Autores ſcripſerunt. Callimachus Cyrenæus Tabulam (πίνακα) ſive deſcriptionem eorum, qui in quavis diſciplina clari fuerunt, edidit: quod Opus libris centum & viginti conſtabat. Præter Suidam ejus meminit Athenæus. Neanthem Cyzicenum περὶ ἐνδόξων ἀνδρῶν ſcripſiſſe, ex Laertio & Heſychio Mileſio cognoſcimus. Theſeidem, id eſt, Theſei geſta, Diphilus ſcripſit, qui à Pindari Scholiaſte citatur. Olympionicas ſcripſerunt Timæus, Steſiclides Athenienſis, & Agriopas: item Euanoridas Eleus, teſte Pauſania. Athenienſium ἀρχοντας literis tradiderunt Demetrius Phalereus, Steſiclides, & Philochorus. Vitas illuſtrium Philoſophorum, Pythagoræ, Socratis, Archytæ, Platonis, & aliorum, ſcripſit Ariſtoxenus, Ariſtotelis auditor. Hermippum Smyrnæum ἐν τοῖς Βίοις, hoc eſt, *in Vitis* virorum eruditione illuſtrium citant Laertius, & Athenæus. De Philoſophorum Succeſſionibus ſcripſit Nicias Nicenus, quem laudat Athenæus. Ejuſdem argumenti libros edidit Sotion Alexandrinus, cujus meminerunt Diogenes Laertius, & Eunapius in Proœmio Vitarum.

Vitas illuſtrium imperatorum ſcripſit Cornelius Nepos: quem librum Æmylii Probi eſſe, multi crediderunt. Error indè provenit, quòd

quòd librario id fuerit nomen, qui Vitas eas partim ſuâ, partim matris atque avi manu ſcriptas Theodoſio obtulit. Corn. Nepotem illuſtrium virorum Vitas literis mandaſſe, ſatìs conſtat ex A. Gellio, Servio, & Chariſio. Ex illis habemus quidem viginti duos exterarum gentium Imperatores: cæterùm de Romanis quoque Ducibus ſive imperatoribus clariſſimis eum ſcripſiſſe, indicant ipſius verba, in extrema Annibalis Vita. Præterea, Opus de Viris Illuſtribus, non ſolùm excellentes imperatores, ſed etiam claros Scriptores complectebatur. Igitur B. Hieronymus Præfatione libri De Scriptoribus Eccleſiaſticis, Nepotem inter eos refert, quorum exemplum ipſe ſecutus ſit. Egit autem Nepos tum de Græcis ſcriptoribus, tum de Latinis. In Vita Dionis ipſe dicit, librum ſe feciſſe De Illuſtribus Hiſtoricis. Vitam Ciceronis à Nepote ſcriptam fuiſſe, docet A. Gellius lib. 15. cap. 28. Exſtat Vita Titi Pomponii Attici ab Nepote ſcripta, & Vita Catonis majoris: de cujus vita & moribus, plura ſe perſecutum eſſe dicit in libro, quem ſeparatim de Catone fecerat.

Auguſti Cæſaris ævo, & non multò pòſt floruere nobiles Scriptores, qui ex antiquioribus (quos recenſuimus) hiſtoricis, ſuperiorum temporum res geſtas accuratiùs perſcriptas poſteris tradidere. Ex his præcipui ſunt, Diodorus Siculus, Dionyſius Halicarnaſſeus, Titus Livius, Nicolaus Damaſcenus, Trogus Pompeius, Plutarchus, Q. Curtius, Arrianus, Ælianus, Appianus, Velleius Paterculus, Dio Caſſius: Quibus adjici poſſunt Strabo, Pauſanias, Valerius Maximus. Sed & multi fortaſſis eorum quos ſuprà memoravimus, circa Auguſti ſeculum vixerunt.

Hiſtoriæ Catholicæ ſcriptores.

1 Inter catholicæ Hiſtoriæ autores primum locum ſibi vendicat Herodotus Halicarnaſſenſis: de quo ſic ſcribit Diodorus lib. 11. Τῶν δὲ συγγραφέων Ἡρόδοτος, ἀρξάμενος πρὸ τῶν Τρωϊκῶν χρόνων, γέγραφε κοινὰς σχεδὸν τὰς τῆς οἰκουμένης πράξεις ἐν βιβλίοις ἐννέα. hoc eſt: *Inter Scriptores autem Herodotus, ultra Troiani Belli tempora exorſus, quicquid ferè toto orbe terrarum eſt geſtum, id novem libris expoſuit.* Et Dionyſius teſtatur, Herodotum διεξελθεῖν πράξεις Ἑλλήνων καὶ Βαρβάρων ἔτεσιν ὁμοῦ διακοσίοις καὶ εἴκοσι γενομένας ἐν ταῖς τρισὶν ἠπείροις, *res geſtas Græcorum & Barbarorum per 220 annos in tribus Continentibus* (Aſiâ ſcilicet, Europâ, & Africâ) *perſecutum*

esse. Idem paulò pòst ait, Herodotum πάσας τὰς ἐν τοῖς πεπραγμένα ἐν διακοσίοις ἔτεσι ἡγουμένας πράξεις ἐπιφανεῖς Ἑλλήνων τε καὶ βαρβάρων μιᾷ συντάξει περιλαβεῖν, *Quæcunq; per annos centum & quadraginta gesta à Græcis & à Barbaris erant, ex iis illustriora quæque delegisse, & in unum quasi Corpus historiæ contulisse.*

2 Anaximenes Lampsacenus, qui inter Alexandri M. comites erat, res priscas Græcorum, quásque Philippus Amyntæ F. & Alexander gesserint, omnes simul conscripsit, teste Pausania in Eliacis. Quæ Pausanias vocat τὰ ἐν Ἕλλησιν ἀρχαῖα, hæc ipse Anaximenes inscripserat Πρώτας ἱστορίας, ut ex Athenæo colligitur. Nam quid aliud sunt *Historiæ primæ*, quàm antiquissimæ, sive de vetustissimis rebus Græcorum? Operis ejus argumentum habes apud Diodorum libro 15. Ἀναξιμένης ὁ Λαμψακηνὸς τὴν πρώτην τῶν Ἑλληνικῶν ἀνέγραψεν, &c. id est: *Anaximenes Lampsacenus primam rerum Græcarum historiam descripsit: eámque à deorum ortu & generis humani primordiis exorsus, ad prælium apud Mantineam commissum, & Epaminondæ mortem deduxit, universas propè Græcorum & Barbarorum res duodecim voluminibus complexus.*

3 Polybius Megalopolitanus ab initio Belli Punici secundi, usq; ad Macedonici regni eversionem, historiam libris octo & triginta pertexuit. Non autem Romanorum solùm, sed simul aliarum orbis gentium celebriorum res gestas narrat: unde suum Opus ἱστορίαν καθολικὴν appellat. Præmisit verò libros duos εἰσαγωγικὰς, quibus tempora percurrit à Roma per Gallos capta, usque ad primam Romanorum trajectionem in Siciliam; quod initium fuit Primi belli Punici: & indè κατ' ἐπιτομὴν exsequitur cætera usque ad Secundum bellum Punicum: Ut in universum fuerint libri quadraginta. Ex quibus quinque primi ad nos pervenerunt: ex cæteris solùm Excerpta habemus. Alterum verò Opus subtexuit Polybius, & usque ad finem Belli Achaici, & Excidium Corinthi, perduxit historiam. Scripsit præterea de bello Numantino, sed sepārato à perpetua sua historia volumine, ut autor est Tullius. Polybii historiam continuasse dicitur Posidonius, non Alexandrinus (quod tamen Suidæ visum est) sed Apameensis. Qua de re legendus Vossius De Historicis Græcis lib. 1. cap. 24.

4 Diodorus Siculus scripsit Bibliothecam historicam, sive, ut Aristophanis Scholiastes vocat, τὴν ἱστορικὴν βιβλιοθήκην. Sic autem appellavit,

pellavit, quia tractet Historiam καθολικὴν. Agit enim de rebus Ægyptiis, Assyriis, Medicis, Persicis, Græcis, Romanis, Punicis, atque aliis. Constabat verò Opus hoc libris 40. quorum argumentum ipse in Præfatione recenset: τῆς βίβλων ἡμῖν ἐξ μὲν αἱ πρῶται συνέχουσι τὰς πρὸ τῆς Τρωϊκῶν πράξεις καὶ μυθολογίας, &c. *Ex libris nostris*, inquit, *primi quidem sex continent res ante Troianum bellum gestas, eáque, quæ fabulis de seculo isto prodita fuerunt: atque horum priores tres, antiquitates Barbaricas; tres posteriores, ferè Græcas comprehendunt. Undecim verò sequentibus res ubique locorum gestas à Bello Troiano usq; ad Alexandri Magni mortem, descripsimus. Denique in tribus & viginti libris cateras res gestas retulimus, usque ad initium belli adversus Gallos excitati, quo Imperator C. Julius Cæsar, cui res gestæ* Divi *nomen peperere, plurimis & pugnacissimis Gallorum gentibus debellatis, imperium Romanum ad Britannicas usque Insulas prolatavit.* Ex quadraginta illis Diodori libris solùm quindecim exstant, atque item pauca ex Photio & aliis, excerpta.

5 Nicolaus Damascenus, philosophus Peripateticus, & Augusto Cæsari amicissimus, universalem scripsit Historiam. Ea librorum erat 80, juxta Suidam; 124, secundùm Josephum: sed plurium fuisse librorum, indicat Athenæus Dipnosophistôn sexto: Νικόλαος ὁ Δαμασκηνὸς (εἷς δ' ἦν τῆς περὶπάτου) ἐν τῇ πολυβίβλῳ ἱστορίᾳ· ἑκατὸν καὶ τεσσαράκοντά ἐστι πρὸς τοῖς τέσσαρσιν. id est: *Nicolaus Damascenus, unus ex Peripateticis, in Historia sua multis constante libris, nimirum centum quadraginta quatuor.* Ex libro 96. locum quendam de Diluvio & Arca, citat Josephus Antiquit. libro primo, cap. 4.

6 Trogus Pompeius, quem disertissimis viris annumerat Vopiscus, inter Autores Historiæ Catholicæ reponendus est. Historiarum Philippicarum libros quadraginta quatuor conscripsit; quorum nunc Epitomen solam à Justino concinnatam habemus. Philippicas autem appellavit Trogus, exemplo Theopompi. Et profectò Libri propè omnes de Imperio Philippico, hoc est, Macedonico, agebant. Nam à libro septimo usque ad 41. tractat de regno Macedonico, cujus dignitas principium suum debet Philippo Magno, patri Alexandri. Septem verò libros primos Bongarsius arbitratur esse *Mundi Origines*, quas veterum codicum titulus pollicetur. *Terræ Situs*, quos eadem pollicetur inscriptio, videntur esse Descriptiones regionum, quæ in Justino ferè nullæ, in Trogo frequentes fuerunt,

fuerunt, ut indicant Prologi, quos idem doctissimus vir ex Mss. codicibus produxit in luminis oras.

CAP. II.

De Historiæ Catholicæ utilitate, ac præstantia, ex Diodoro, & Polybio.

UNiversalis Historiæ utilitates atq; excellentiam luculentè explicat ipse Diodorus Sic. qui triginta annorũ operam in suam Historiam impendisse fertur, nullis periculis vel ærumnis territus, quò minùs loca ipsa lustraret, de quibus scripturus esset. Ejus verba ex Bibliothecæ procœmio apponam; Τοῖς τὰς κοινὰς ἱστορίας συγγραψαμένοις μεγάλας χάριτας ἀπονέμειν δίκαιον πάντας ἀνθρώπους, ὅτι τοῖς ἰδίοις πόνοις ὠφελήσαι τὸν κοινὸν βίον ἐφιλοτιμήθησαν· ἀκίνδυνον γὰρ διδασκαλίαν τῆς συμφερούσης εἰσηγησάμενοι, καλλίστην ἐμπειρίαν διὰ τῆς πραγματείας ταύτης παρεσκεύασι τοῖς ἀναγινώσκουσιν, &c. id est: *Autoribus qui universales historias contexuerunt, magnam cuncti mortales ut gratiam referant, par est; quòd suis laboribus communis vitæ societatem juvare honestissimâ contentione studuere. Cùm enim viam docendi quid expediat, periculis haud obnoxiam introduxerint, pulcherrimam hâc operâ suâ lectoribus peritiam conciliant. Nam comparata Historiæ beneficio prudentia, aliorum perperam rectéque facta intelligens, vacuam à malorum experimentis doctrinam habet. Præterea, operam dederunt, ut universos homines (qui mutuâ cognatione inter se devincti, locorum tamen & temporum intervallis distant) ad unius communitatem ordinis redigerent; acsi Divinæ Providentiæ administri fuerint.* Omnino lectu digniſſima sunt, quæ ibidem sequuntur. Polybius Lycortę F. summus philosophus, & historicus, illâ tempestate vixit, quando admirabilis rerum universi Mundi facta est conversio. Nam annis quinquaginta tribus, ut observat ille, universus propè Orbis terrarum sub unius Populi Romani imperium fuit redactus. Hâc inopinatâ rerum novitate se ad καθολικὴν ἱστορίαν scribendam excitatum fuisse dicit. Verba gravissimi Scriptoris, quibus Historiæ Catholicæ excellentiam graphicè depinxit, digna sunt, quæ saltem ex Casauboniana versione hîc attexantur. *Quod operis nostri*, inquit, *proprium est nostróque tempore mirandum accidit, hoc illud est: quòd sicut Fortuna res propè universas totius quà habitatur Orbis, in unam partem inclinavit, atque omnia ad unum eundémque scopum vergere coegit: ità & nos scriptione hâc sub unum quasi conspectum lectoribus ponimus, quonam se modo ad operis hujus consummationem ipsa*

sa Fortuna gesserit. Atque hoc inprimis fuit, quod me excitavit impulitque, ut historiam susciperem scribendam. Accedebat eò, quòd nemo memoriâ nostrâ Historiam Universalem conscribere erat aggressus: nam alioquin minus equidem ad hoc studii attulissem. Nunc, cùm viderem particulatim quidem gesta bella, & nonnulla quæ temporibus iisdem evenerant, nonunum aut alterum, sed plures historicos memoriæ mandasse; universam verò illorum, quæ ad summam rerum conferunt, administrationem in iis quæ acciderunt, quando & à quibus principiis quæque sint profecta, quóve modo hunc tandem finem res sint nactæ: hæc, inquam, neminem (quod ipse quidem sciam) in animum induxisse examinare: omnino factu necessarium duximus, ut pulcherrimum atque utilissimum Fortunæ institutum, nè sileremus, neque transmitteremus inobservatum. Hæc enim (τὴν ἐκ Θεοῦ τύχην intelligit) *multa quotidie nova moliens, & in humanis suarum virium specimen continuè edens, nullum planè ad hoc tempus neque opus simile fecerat, neque facinus ullum, quale nostrâ memoriâ ediderat. Id verò ex iis, qui particulatim res gestas scripserunt, non cognoscas: nisi fortè aliquis, ubi nobilissimas urbes sigillatim adierit, aut etiam pictas in tabula fuerit contemplatus, statim putaturus sit, totius quoque Orbis figuram, universúmque adeò illius situm atq; ordinem probè se didicisse: quod penitus à ratione sit alienum. Omnino meo quidem judicio similes sunt qui sibi persuadent è particulari historia summæ rei notitiam satìs commodè parari posse, iis qui disjecta membra corporis antè animati ac pulchri tuentes, abunde satìs spectatam sibi crediderint Animalis ipsius vim, actiones, ac pulchritudinem. Nam siquis illa membra repentè in unum composuerit, & denuò integrato Animali suam formam & Animæ decus reddiderit, atque ità rursus iisdem illis ipsum ostenderit: omnes, credo, statim fateantur, longè se antea à rei veritate abfuisse; non multò secùs, atque eos qui somnia vident. Quippe ex parte potest quidem de toto subire animum cogitatio: cæterùm scientia & cognitio vera haberi nequaquam potest. Quamobrem, ità existimare debemus; parùm omnino singularum partium historiam ad rerum universarum conferre notitiam & fidem: quam ex sola cunctarum inter se partium connexione & comparatione, item similitudine ac differentiâ aliquis consequatur: eóque modo in penetralia admissus historiæ, & utilitatem & voluptatem ex ea poterit capere.* Hæc Polybius. Non unius tantùm populi Romani res peragere instituerat ille: sed Romani quidem primariò, deinde autem & cæterorum totius Orbis popu-

lorum omnium, paulo saltem nobiliorum. Multa igitur de Regum Syriæ, Ægypti, Ponti, Cappadociæ, Persidis, aliarúmque gentium rebus, ordinem secutus temporum, inseruit: propter quæ Opus suum καθολικὴν ἱστορίαν jure nominat. Estque hoc historiæ Polybianæ grande, atque insigne decus; quòd non de una tantùm aut altera Natione fuerit instituta, verùm de omnibus quæ toto Orbe illis temporibus noscebantur. Cujus generis historia cùm reliquas formas tantum dignitate superet, quantum parte aliquâ sui totum est præstantius; iis cum difficultatibus est conjuncta, ut post hominum memoriam perquam pauci fuerint reperti, qui oneri tanto subire auderent; quorum autem humeris onus illud bene sederet, paucissimi. Planè inusitatam animi magnitudinem, & parùm vulgò consuetum ingenii modum præ se fert, qui Universalis Historiæ scriptionem πραγματικὴν aggreditur. Historia enim catholica ea demum verè nominari potest, quæ nârret & in unum collecta ordine exponat Dei immortalis Opera, quæ in gubernatione hujus Universitatis omnipotens ejus dextera usque à conditu rerum ad hanc diem indesinenter edere non cessat. Illud verò quantum est, quàm admirabile! posse aliquem mortalium, illam Dei ter maximi πολυνοήτου & inenarrabilem sapientiam, quæ non unam aliquam gentem aut aliquam regionem, sed verò Mundum universum regit ac temperat, quasi vestigiis persequi, mente capere, & stylo enarrare: quid de populis Orientis, quid tempore eodem de Occidentis, divina statuat Providentia: quid vel sublevandis vel premendis ad Aquilonem Austrúmve gentibus, eadem decernat. Tot res, tam varias, vel animo posse capere, magnum sit: quid componere inter se, in ordinem digerere, & in unius Historiæ faciem concinnare? Hoc demum verè est, ministrum Providentiæ divinæ in terris agere. Neque profectò aliter Sapientes olim viri judicarunt: qui, cùm memoriam rerum gestarum laudibus in cœlum ferrent, eò venere demum, ut dicerent, conditores historicorum monumentorum ὥσπερ τινὰς ὑπουργοὺς τῆς θείας προνοίας γενέσθαι, *Divinæ providentiæ ministros in terris agere:* porrò autem, unum hoc literarum esse genus, cujus studio Sapientia simul parabilis sit, & Prudentia. Rara omnino & planè magnifica laus hæc est; vera tamen, ac debita, & quæ nihil quicquam trahat ex vano; ut pluribus ostendit eruditissimus vir Isaacus Casaubonus in elegantissima Epistola dedicatoria, Polybianæ historiæ præfixa.

CAP. III.

CAP. III.

De Chronologiæ difficultate.

APud Ethnicos nulla fuit Antiquitatis memoria, quæ Noetici Diluvii tempus excederet. Nimirum illis totum temporis intervallum ab Origine Mundi usque ad Cataclysmum, prorsus ignotum fuit, ideóque ἄδηλον dicebatur. Sic enim ex Varronis sententia scribit Censorinus libro de Die Natali, cap. 21. *Hic*, inquit, *tria discrimina temporum esse tradit: primum, ab hominum principio ad cataclysmum priorem; quod propter ignorantiam vocatur* ἄδηλον. *secundum, à cataclysmo priore ad Olympiadem primam; quod, quia in eo multa fabulosa referuntur,* μυθικὸν *nominatur: tertium, à prima Olympiade ad nos; quod dicitur* ἱστορικὸν, *quia res in eo gesta veris historiis continentur. Primum tempus, sive habuit initium sive semper fuit, certè quot annorum sit, non potest comprehendi. Secundum, non planè quidem scitur, sed tamen ad mille circiter & sexcentos annos esse creditur. De tertio autem tempore fuit quidem aliqua inter autores dissensio, in sex septémve tantummodo annis versata: sed hoc quodcunque caliginis Varro discussit.* Hæc ille.

In Sacris literis, quæ Mundi creationem nobis aperiunt, accurata quidem habetur annorum supputatio ab Orbe condito, usque ad Diluvium: Tamen frustrà conabimur ex sola Sacra Scriptura eruere, quantum temporis ab Adamo ad Christum intersit. Multa enim sunt, quæ supputationem annorum adeò variam & discrepantem faciant, ut Sixtus Senensis propè 30 Chronologias ab ortu Mundi ad Domini nostri Adventum collegerit. Hujus autem difficultatis quatuor ferè sunt causæ præcipuæ. Prima est, illa varietas & discrepantia opinionum de natali Abrahami Patriarchæ; cujus nodi mentionem facimus ad Annum Mundi 2007. Altera causa ex eo est, quòd multi Græcos Bibliorum interpretes secuti, inter Arphaxad & Sale interponunt Cainan, cujus generatio in Hebræis codicibus non reperitur. Præterea, ratio quorundam temporum, ut à Mose ad Davidem, & ab initio Babylonicæ captivitatis ad ejusdem finem, non satis liquet, sed perplexa videtur, & obscura. Denique hinc augeri videtur difficultas, quia tempora quæ ab liberatione captivitatis Babylonicæ ad Christi Nativitatem transacta sunt, in Sacris literis non traduntur, sed ex Ethnicorum historiis & chronologiis petenda sunt.

Artes nonnullas Homini divinitus esse concessas fateor, quibus fugitivam Antiquitatem quasi retrahere possit. In cœlis enim habemus Eclipsium vices, qui sunt ἀναμφισβήτητοι characteres temporum. Nam cui argumento tutiùs credi potest, quàm motibus illis cœlestibus? Igitur veterum observationes Astronomicæ, saltem post Romam conditam, diligenter adnotatæ sunt, sub quo Rege, quoto anno ejus Regis factæ sint. Cùm verò in Sacris Bibliis pauciſſimi superſint characteres, quibus aliquod intervallum tutò prehendere possimus; hinc contigit, ut investigatio Temporum difficilior sit in sacra Scriptura, quàm in exotica Historia. Quod cùm Eusebius aliíque sapientissimi Scriptores animadvertissent, omnino sinę historiis exoticis intervalla sacrę Historię deprehendi posse desperarunt. Neq; tamen est, quòd quisquam Spiritui sancto injuriam fieri dicat, si Historia sacra ab exotica petat ejusmodi subsidium: quasi magna illa ignominia sit, si Historia externa sacrę ancilletur. Sunt qui omnes profanos (ut vocant) Scriptores mentiri vociferantur: cùm tamen doctissimi Chronographi non solùm cœlestium motuum, sed & Civilium institutorum observationes necessariò ad Temporum investigationem adhibendas semper censuerint. Civilia instituta intelligo, solemnes illos in Græcia ludos; Olympia præsertim, & Pythia: apud Romanos verò lustrorum & ludorum Secularium celebrationes.

Μέχρι μὲν τῶν ὀλυμπιάδων, inquit Julius Africanus, οὐδὲν ἀκριβὲς ἱστόρηται τοῖς Ἕλλησιν. id est: *Nulla est apud Græcos accuratè scripta historia, ante Olympiadas constitutas.* Quippe Tempus ἄδηλον nullas hominum aut gestorum notas habuit. Intervallum μυθικὸν sive heroicum, habuit quidem hominum & rerum gestarum notas, sed incertas, & inexploratas: intra quod Reges Sicyoniorum, Argivorum, Athenienſium, Troianorum, & aliarum quarundam gentium claruisse, constat: quorum tamen tempora per generationes potiùs, quàm per annos expansos investigari solent. Generatio seu γενεὰ, est tempus, intra quod Homo generare potest, & ex se genitos videre. Herodotus tribus γενεαῖς centum annos comprehendit; alii, quatuor. Toto igitur illo temporis spatio nihil ferè contigit, de quo certò pronuntiari possit, quo anno contigerit; quod tamen contigisse non est dubium. Multa quidem fabulosa veris admixta habet illud temporis intervallum: non utique, quòd Heroes, & qui pro diis culti sunt, non fuerint,

fuerint, sed quia quo tractu temporis vixerint potiùs, quàm quo anno quid gesserint, determinari potest. Cùm autem Olympiadum Iphitearum initium Græcis fixum sit, atque notum, per quas scilicet ii tempora numerarint; hinc fit, ut postremum temporis intervallum, quod à prima Olympiade fluxit ad Christi æram, ac deinceps, certo annorum numero notatum sit, & comprehensum.

CAP. IIII.

De antiquis Chronographis.

CHronographiam, sine qua claudicat Antiquitatis memoria, veteribus minimè neglectam fuisse, constat. Quanquam enim temporis injuriâ periere nobis vetustissimorum χρονογράφων scripta, quibus illi Temporum præteritorum memoriam, & συγχρονισμῶν notitiam conservatam fore sperabant, tamen cùm usque ad inclinationem Romani Imperii exstarent eorum libri οἱ χρονολογικοὶ, & eruditorum manibus tererentur, hinc eorum nomina saltem & aliquot fragmenta utilissima ad nos pervenerunt.

1 Theagenes Rheginus, antiquus chronographus, vixit sub initium Persici Imperii. Sic enim apud Tatianum & Eusebium, Θεαγένης ὁ Ρηγῖνος χρ. Καμβύσην γεγονὼς dicitur. Et, quia Cambysis erat æqualis, idcirco Anonymus in Olympiadum ἀναγραφῇ ad Olymp. 63. notavit: Θεαγένης ὁ Ρηγῖνος χρονογράφος ἤκμαζεν.

2 Sosibius Lacon, chronographus, sub Ptolemæo Philadelpho vixit. Apud Clementem Strom. 1. citatur Σωσίβιος ὁ Λάκων ἐν χρόνων ἀναγραφῇ. Suidas ait, hunc Sosibium grammaticum fuisse ex eorum genere, qui ἐπιλυτικοὶ dicebantur, eò quòd obscura quæq; in scriptoribus explicarent.

3 Xenagoras ἐν πρώτῳ χρόνων laudatur ab Interprete Apollonii ad Argonauticôn lib. 4.

4 Euthymenes chronographus, qui Homerum unà cum Hesiodo floruisse scripsit, à Clemente Alexandrino memoratur.

5 Sosimus chronographus, qui Καρνείων festum Olympiade 26. institutum fuisse tradidit, ab Athenæo adducitur.

6 Apollonius τετάρτῳ χρονικῶν citatur apud Stephanum in Χλιχπτίειον.

7 Pausanias Lacon Chronica scripsit, teste Suida.

8 Antileon libros περὶ χρόνων confecit, quos citat Laertius.

 9 Andron

9 Andron Alexandrinus χρονικὰ condidit, ut docet Athenæus lib. 4.

10 Apollodorus grammaticus Athenienſis, ſcriptor celebratiſſimus, ἐν τοῖς χρονικοῖς laudatur apud Diog. Laertium, A. Gellium, Lucianum, & alios.

11 Ptolemæus Mendeſius ἐν τοῖς χρόνοις citatur à Tatiano.

12 Thallus chronographus Julio Africano memoratur, ut ex Euſebio diſcas. Ejus Scriptoris meminere etiam Juſtinus Martyr, Tertullianus, Minutius Felix, & Lactantius.

13 Caſtor, nobilis chronographus, ſcripſit περὶ θαλασσοκρατόντων, ſive *De iis, qui imperio maris potiti ſunt.* Ex hoc opere Euſebius ea deprompſit, quæ in Chronicis paſſim de illis refert, qui mare olim obtinuerunt. Scripſit præterea Caſtor τὰ χρονικὰ ἀγνοήματα, id eſt, *De ignoratione Temporum*; quod Opus præter Suidam Apollodorus memorat libro Bibliothecæ ſecundo. Caſtoris meminerunt Joſephus lib. 1. contra Apionem, Juſtinus Martyr, Stephanus in Βοιωτία, alii. Apud Auſonium Caſtor dicitur ſcripſiſſe libros De Regibus ambiguis. Quod Joſephus Scaliger referendum putat ad ejus libros χρονικῶν ἀγνοημάτων, in quibus ſcripſerat de iis, quæ falſò dicebantur ſub tali, aut tali Rege facta fuiſſe; & ἀναχρονισμὸς veterum Scriptorum arguebat: multáque præterea non antè cognita ex recondita vetuſtate eruebat. An verò hic ſit Caſtor, qui Regis Deiotari filiam duxit, ſubdubito. Certè Scriptorem χρονικῶν ἀγνοημάτων, quem citat Apollodorus, antiquiorem eſſe oportet.

14 Titus Pomponius Atticus in ſuis Annalibus accuratè ſeriem Temporum notarat. Id indicat Cicero, in Bruto: *Nempe eum dicis librum, quo iſte* [Atticus] *omnem rerum memoriam breviter, & , ut mihi quidem viſum eſt, perdiligenter complexus eſt.* Paulò póſt: *Habuit iſte liber Attici, & nova quidem mihi multa, & eam utilitatem, quam requirebam: ut, explicatis ordinibus temporum, uno in conſpectu omnia viderem.* Idem, in Oratore: *Laborem nobis Attici noſtri levavit labor: qui, conſervatis, notatíſque temporibus, nihil cùm illuſtre prætermitteret, annorum ſeptingentorum memoriam uno libro colligavit.*

15 Cornelius Nepos (qui Ciceronis amicus familiaris ab A. Gellio vocatur) vir doctus, & difertus, Chronicorum libros tres compoſuit; quorum primus à Gellio citatur. Horum Chronicorum non obſcura mentio apud Catullum. Is enim ſua epigrammata huic

huic Cornelio Nepoti dedicavit: quem dicit

—unum Italorum ausum fuisse
Omne ævum tribus explicare chartis.

Intelligit Chronicon Nepotis, ut rectè observat Josephus Scaliger; quod antiquissima etiam mythologica complectebatur instar Apollodori Bibliothecæ. Itaque omne ævum ab ultima antiquitate tribus illis chartis sive libris (*doctis & laboriosis*) ait comprehensum. Ex hujus Corn. Nepotis aliorúmque antiquorum chronicis aliqua excerpsit A. Gellius Noctium Atticarum libro 17. cap. 21. ubi ostendit, quibus temporibus post Romam conditam floruerint Græci Romaníque illustres viri ante Secundum bellum Punicum.

16 Phlegon Hadriani Imp. libertus edidit Opus Olympiadum, sive Chronicorum. Ex eo opere nunc Fragmentum duntaxat habemus. Si totum exstaret, multum indè lucis fortasse priscæ Ecclesiæ temporibus accederet. Inter alia industriæ testimonia, Phlegon etiam Eclipseos meminerat, quæ Dominicæ Passionis tempore contigit; ut constat ex Origenis in Matthæum Evangelistam Tractatu trigesimo quinto, & ex Eusebii Chronicis.

17 Chronologia veterum quorundam, & nominatim Thrasylli, apud Clementem commemoratur, Strom. 1. *Jam usque à Mose*, inquit, *colligamus Græcorum chronographiam. Ab ortu Mosis usque ad Judæorum ex Ægypto exitum, anni octoginta: &, qui fuerunt usque ad ejus mortem, alii quadraginta.* Ibidem: *A Mosis* (& Inachi) *principatu ad Deucalionis diluvium, secundam, inquam, inundationem, & Phaethontis incendium, quæ sub Crotopo contigerunt, numerantur generationes quatuor. Centum autem annis tribuuntur tres generationes. A cataclysmo ad Idæ incendium, Ferri inventionem, & Idæos dactylos, anni septuaginta tres, ut ait Thrasyllus. Ab Idæ incendio ad Ganymedis raptum, anni sexaginta quinque. Hinc ad Persei expeditionem, quando Glaucus Melicertæ Isthmia posuit, anni quindecim. A Persei autem expeditione ad Ilii conditum, anni triginta quatuor. Hinc ad Argonautica, anni sexaginta quatuor. Hinc ad Theseum & Minotaurum, anni triginta duo. Hinc ad eos Septem Duces qui Thebas oppugnaverunt, anni decem. Hinc ad Olympicum agona, quem Hercules Pelopi posuit, anni tres. Hinc ad Amazonum in Athenienses expeditionem & Helenam à Theseo raptam, anni novem. Hinc ad Herculis apotheosin, anni undecim. Deinde ad Helenam ab Alexandro raptam, anni quatuor. A Troia*

autem

autem capta (vel ab Ilio oppugnato) *ad Æneæ descensum, & conditum Lavinium, anni decem. Hinc ad Ascanii imperium, anni octo: hinc ad Heraclidarum descensum, anni sexaginta unus: & hinc ad Iphiti Olympiadem, anni trecenti triginta octo.*

18 Eratosthenis chronographia, apud eundem Clementem habetur: *A capta Troia ad κάθοδον Heraclidarum, numerantur anni octoginta: Hinc ad conditam Ioniam, anni sexaginta. Qui autem deinceps consequuntur, ad Lycurgi tutelam, anni centum quinquaginta novem. Hinc ad annum qui Prima præcedit Olympia, anni centum octo. A qua Olympiade ad Xerxis transitum, anni ducenti nonaginta septem. Hinc ad principium belli Peloponnesiaci, anni quadraginta octo: deinde ad ejus belli finem, & Athenienſium cladem, anni viginti septem. Hinc ad Pugnam Leuctricam, anni triginta quatuor. Hinc ad Philippi mortem, anni triginta quinque. Post hæc autem ad Alexandri obitum, anni duodecim.*

19 Aliorum Veterum chronologia, apud eundem: *A prima Olympiade nonnulli dicunt ad Romam conditam colligi annos viginti quatuor. Hinc ad Babylonis eversionem, quando Consules creati sunt, anni circiter ducenti quadraginta tres. A capta autem Babylone ad mortem Alexandri, anni centum octoginta sex. Hinc ad Augusti victoriam, quando Antonius sibiipsi mortem conscivit Alexandriæ, anni ducenti nonaginta quatuor.*

20 Duris, antiquus scriptor, à Troia capta ad Alexandri in Asiam adventum, annos mille numerabat. Alii veteres chronologi à Cecrope ad Alexandrum Macedonem annos 1808 colligebant, ut notat Clemens ibidem.

21 Timotheus chronographus, homo Christianus, Orpheum Gedeoni σύγχρονον fuisse prodidit. Georgius Cedrenus inter alia quæ affert ex hoc chronographo, hæc habet: Ταῦτα Τιμόθεος ὁ χρονογράφος, λέγων τὸν Ὀρφέα πρὸ τοσούτων χρόνων εἰπεῖν, Τριάδα ὁμοούσιον δημιουργῆσαι τὰ πάντα. id est: *Hæc scripsit Timotheus chronographus, qui ait, ante secula tam multa Orpheum dixisse, Trinitatem consubstantialem creasse universa.*

Tempore nascentis Christianismi, cùm veritas ignorata passim damnaretur, ídque propterea quòd hostes Christiani nominis, deorum quidem suorum vetustatem deprædicarent, Christianam verò doctrinam novellam & χθὲς καὶ πρώην enatam dicerent; exorti sunt

Scriptores

Scriptores pietate ac eruditione præstantissimi, qui ex ipsorum Græcorum commentariis non solùm asseruere vetustatem Legis Mosaicæ, verùm etiam plerosque deos gentium infra ætatem Mosis fuisse ostenderunt. Hac in re egregiam navarunt operam post Justinum Martyrem Tatianus, Clemens Alexandrinus, Julius Africanus, & alii.

Justinus vixit circa Annum Christi centesimum quinquagesimum, & inter alia scripsit Paræneticam ad Græcos Orationem, in qua Mosem cunctis Ethnicorum Sapientibus, poetis, historiographis, philosophis, & legumlatoribus antiquiorem fuisse contendit. Id probare conatur ex Polemonis Ἑλληνικῶν ἱστοριῶν libro primo, & ex Apionis Historiarum libro 4. ubi Judæi, quibus Moses præfuit, ab Ægyptiorum rege Amasi secessisse dicuntur, regnante apud Argivos Inacho. Huic sententiæ suffragari ait non solùm Ptolemæum Mendesium, qui res Ægyptias conscripsit, sed etiam Hellanicum, Philochorum, Castorem, Thallum, & Alexandrum Polyhistora.

Tatianus circa Annum 170. à Christi D. N. Nativitate floruit. Hic etiam libro quem scripsit contra Gentiles, affert testimonium Ptolemæi Mendesii sacerdotis, qui Annales Ægyptiorum composuit; in quibus scriptum reliquit, Judæos sub Amose Ægyptiorum Rege migrasse ex Ægypto in suam regionem, Mosem ducem secutos. Amosim verò fuisse tempore Inachi. Unde concludit, Mosem, si Inacho sit æqualis, Troiano bello quadringentis annis esse antiquiorem.

Clemens Alexandrinus, vir longè eruditissimus, sub Severo Imp. claruit, circa Annum Christi ducentesimum; quo tempore vixit etiam Tertullianus. De ætate Mosis quædam repetit Clemens ex Tatiano: quem ait hac de re ἀκριβῶς disseruisse: ἐξ ὧν συνῶπται, inquit, κατ' Ἴναχον ἠκμακέναι τὸν Μωσέα. Addit, Cassianum libro Ἐξηγητικῶν primo eandem tractasse materiam. Eusebius in Historia Ecclesiastica, ubi de Clementis operibus loquitur: Μνημονεύει τε τοῦ πρὸς Ἕλληνας Τατιανοῦ λόγου, καὶ Κασσιανοῦ, ὡς καὶ αὐτοῦ χρονογραφίαν πεποιημένου. *Tatiani*, inquit, *librum contra Gentiles citat Clemens, & librum Cassiani, qui & ipse chronographus fuit, seu De Temporum ordine scripsit.*

Julius Africanus, qui floruit circa Annum Domini 220. scripsit πέντε χρονογραφιῶν ἐπ' ἀκριβὲς πεπονημένα σπουδάσματα, *quinque libros chronographicos elaboratissimos* (ut ait Eusebius) ab Origine Mundi usque ad

Macrinum Imp. quibus Sacræ historiæ vetustatem adseruit. Hic cùm legisset apud Josephum ex Polemone, Apione, & Ptolemæo Mendesio, Hebræos ex Ægypto, duce Moyse, migrasse circa initium regni Argivorum, hoc est, annis 1020 ante Primam Olympiadem: id tanquam fundamentum Chronologiæ suæ sibi constituit, ad quod præterita tempora, & à quo sequentia deduceret. Vide ipsius Julii Africani verba citata ab Eusebio De Præpar. Evang. libro decimo.

Eusebium Pamphili, Cæsariensem episcopum, imitatorem nactus est Julius Africanus, propter operis excellentiam. Floruit autem Eusebius tempore Constantini Magni, circa Annum Christi 320. Hic postquam luculenta contexuisset volumina, quibus defensionem Christiani cultûs instituit, viginti quidem libris De demonstratione Evangelica contra Judæos, adversus Gentes autem libris quindecim [illegible], Opus insuper Chronologicum aggressus, Julium Africanum ipsis vestigiis secutus est. Ad hanc scriptionem se contulit Eusebius; ut non solùm Gentium obtunderet pertinaciam, sed & Christianorum errori succurreret, quibus nulla certa constabat ratio Sacræ Historiæ. Quanquam enim Sacra Scriptura satis expressa Temporum intervalla ab Adamo ad Exodum, & hinc ad casum Sedekiæ, suppeditaret; tamen quantum temporis à primo homine ad suum ævum interfluxisset, non magis ipsis exploratum erat, quàm quantum à se, ad seculi consummationem supereset. Huic errori ut succurreret Eusebius, in Opere suo chronologico omnium regnorũ, dynastiarum, nationum, rerumpublicarum initiis discussis, fabulosorum deorum natalibus longè vetustiores esse Mosaicas origines, ostendere voluit. A creatione Mundi ad nativitatem Abrahæ Eusebius numerat annos 1950. A nativitate Abrahæ (quę in annum Nini 43. incidit) numerus Eusebianus incipit, quem ipse Chronico Canoni apposuit. Perduxit autem Chronicon suum usq; ad Annum Domini 327. qui est Constantini vigesimus. Inter alios superiorum Scriptorum errores, quos Eusebius castigavit, unus & quidem præcipuus est de tempore quo vixerit ipse Moses. Nam qui ante Eusebium scripserant, omnes Inacho parem ætate Mosem esse voluerunt. Eusebius autem primus omnium conatus est ostendere, Exodum Hebræorum plùs quàm annis quadringentis initio Inachi posteriorem esse. Et hæc quidem præcipua videtur esse causa, quæ Eusebium

sebium ad illud opus chronologicum instituendum impulerit. Illud autem Eusebii opus, B. Hieronymi beneficio habemus: quod quidem si ille non vertisset, vix vel nomen Eusebiani Chronici hodie forsitan apud nos supereresset.

CAP. V.

De Anni forma antiquissima.

ANni formam eam, quæ Patriarchis ante Diluvium, & pòst Israelitis in usu fuit, optimam, adeóq; naturalem fuisse, non est dubitandum. Ethnici quidem opinati sunt, genus humanum primùm agreste ac rude, & tantùm non expers rationis, paulatim manuefactum esse ad civilem societatem; atque adeò tum artes, tum scientias omnes, inq; his Scientiam motûs Luminarium cœlestium, à rudibus initiis esse profectas. Quam opinionem secuti nonnulli nuper non obscuri nominis viri, primùm unum mensem lunarem, dein tres, postea duodecim pro anno habitos arbitrati sunt, cósque incertis adhuc neomeniis, ob ignorationem motûs utriusque Sideris: tandem verò mensibus singulis tricenos dies, integro autem anno ter centum & sexaginta assignatos; eámque formam postea variis modis fuisse correctam. Verior tamen mihi videtur Johannis Merceri & aliorum sententia, quibus placet, eam fuisse optimam anni formam, quâ antiquissimi Patriarchæ, & deinceps Israelitæ usi sunt. Namque populum sapientissimum optimâ Anni dispositione usum fuisse, quis negaverit? De Ægyptiis, qui Astronomiæ operam dederunt, sic scribit Strabo, libro 17. Τούτων δέ ἐστι καὶ τὸ τὰς ἡμέρας μὴ κατὰ σελήνης ἄγειν, ἀλλὰ κατὰ ἥλιον, τοῖς τριακονθημέροις δώδεκα μησὶν ἐπαγόντων πέντε ἡμέρας κατ' ἐνιαυτὸν ἕκαστον. id est: *Hi non Lunæ, sed Solis cursu annos numerant, duodecim mensibus, quorum quisque 30. constet diebus, quinque dies quotannis adjicientes.* Apud Herodotum lib. 2. legimus, Πρώτους Αἰγυπτίους ἀνθρώπων ἁπάντων ἐξευρεῖν τὸν ἐνιαυτὸν, δυώδεκα μέρεα διασχίσαντας τὸν ὡρέων ἐς αὐτόν, *Ægyptios omnium hominum primos Annum comperisse, eique duodecim tempora distribuisse.* Mox addit: Αἰγύπτιοι δὲ τριηκοντημέρους ἄγοντες τοὺς δυώδεκα μῆνας, ἐπάγουσι ἀνὰ πᾶν ἔτος πέντε ἡμέρας πάρεξ τοῦ ἀριθμοῦ, *Ægyptii numero tricenorum dierum, quibus duodecim menses taxant, adjiciunt quotannis quinos dies.* Diodorus Siculus, Bibliothecæ libro primo: Οἱ δὲ Θηβαῖοι φασὶν ἑαυτοὺς ἀρχαιοτάτους εἶναι πάντων ἀνθρώπων, καὶ παρ' ἑαυτοῖς πρώτους φιλοσοφίαν τε εὑρεῖν

καὶ τὴν ἐπ' ἀκριβὲς ἀστρολογίαν· ἅμα καὶ τῆς χώρας αὐτοῖς συνεργούσης πρὸς τὸ τηλαυγέστερον ὁρᾶν τὰς ἐπιτολάς τε καὶ δύσεις τῶν ἄστρων. ἰδίως δὲ καὶ τὰ περὶ τοὺς μῆνας αὐτοῖς καὶ τοὺς ἐνιαυτοὺς διατετάχθαι. τὰς γὰρ ἡμέρας οὐκ ἄγουσι κατὰ σελήνην, ἀλλὰ κατὰ τὸν ἥλιον, τριακονθημέρους μὲν τιθέμενοι τοὺς μῆνας, πέντε δ' ἡμέρας καὶ τέταρτον τοῖς δώδεκα μησὶν ἐπάγουσι, καὶ τούτῳ τῷ τρόπῳ τὸν ἐνιαύσιον κύκλον ἀναπληροῦσιν. id est: *Thebæi* (qui scilicet Thebas Ægyptias incolunt) *vetustißimos omnium mortalium se esse prædicant; apud quos omnium primos Philosophia & exactior Astrologia sit inventa; adjuvante ipsos terræ situ ad ortus & occasus siderum illustriùs cognoscendum: modóque peculiari menses & annos apud se ordinatos esse. Nam dies non ad Lunæ, sed Solis motum exigentes, tricenos Mensibus dies tribuunt, & post duodecimum quenq; mensem quinque dies cum quadrante intercalant; eóque pacto circulum annuum absolvunt.* Hinc discimus, præter illos quinque dies addititios quadrantem insuper unius diei apud Ægyptios adjectum fuisse ad complendum Solaris anni circulum. Id sibi volunt verba Strabonis, libro citato: εἰς δὲ τὴν ἐκπλήρωσιν τοῦ ὅλου ἐνιαυτοῦ, ἐπιτρέχοντος μορίου τινὸς τῆς ἡμέρας, περίοδόν τινα συντιθέασιν, &c. hoc est: *Ad totius anni complementum cùm quædam diei particula excurrat, periodum quandam componunt.* Macrobius Saturnal. lib. 1. cap. 15. *Nihil*, inquit, *in illorum* (Ægyptiorum scilicet) *mensibus explicandis videtur operosum; quos tricenûm dierum omnes habent; eóque explicitis duodecim mensibus, id est, trecentis sexaginta diebus exactis, tunc inter Augustum atque Septembrem reliquos quinq; Dies anno suo reddunt, adnectentes quarto quoque anno exacto intercalarem, qui ex quadrantibus confit.* Idem Autor cap. 12. ejusdem libri, *Anni certum*, id est, unum eundémque, *modum Ægyptiis semper fuisse*, testatur. Quod de Anno *vertente* intelligendum. Nam alioqui habebant Ægyptii annos quoque *menstruos* 30 dierum. Sic enim legimus apud Diodorum lib. 1. ubi fabulosos annorum numeros apud Ægyptios excusat. *Nonnulli*, inquit, *affirmare non verentur*, ὅτι τὸ παλαιὸν, οὔπω τῆς περὶ τὴν ἥλιον κινήσεως ἐπεγνωσμένης, συνέβαινε κατὰ τὴν τῆς σελήνης περίοδον ἄγεσθαι τὴν ἐνιαυτόν. i. *quòd olim, Solis motu nondum cognito, Annus ad Lunæ circuitum descriptus fuerit. Cúmque Reges quidam Ægyptiorum* τριακόσια ἔτη (*annos* 300) *regnasse dicantur, id sic intelligendum esse nonnulli opinantur:* κατ' ἐκείνους τοὺς χρόνους τὴν ἐνιαυτὸν ἀπαρτίζεσθαι τέτταρσι μησὶ, τοῖς γινομένοις κατὰ τὰς ἑκάστων τῶν χρόνων ὥρας, οἷον ἔαρος, θέρους, χειμῶνος. id est: *Illorum regum ætate Annum quatuor mensibus fuisse absolutum, quot singulæ Anni solaris partes continent, Ver scilicet, Æstas, & Hyems.* Censorinus cap. 19. *In*

Ægypto

Ægypto quidem antiquißimum ferant Annum menſtruum fuiſſe (ità legendum cenſeo; non, *Annum bimeſtrem*) *pòſt deinde ab Iſone rege quadrimenſtrem factum.* Annus quadrimeſtris vocatur tertia pars Anni Vertentis; ſi nimirum tres duntaxat conſtituamus Anni tempeſtates ſive ὥρας. Apud alios verò, qui quatuor Anni Vertentis Tempora ſtatuebant, Annus trimeſtris fuiſſe perhibetur. Macrobius Saturn. lib. 1. cap. 12. *Arcades*, inquit, *annum ſuum tribus menſibus explicabant.* Cenſorinus, loco citato: *In Achaia Arcades trimenſtrem Annum primò habuiſſe dicuntur, & ob id* προσέληνοι *appellati; non, ut quidam putant, quòd antè ſunt nati, quàm Lunæ aſtrum cœlo eſſet; ſed quòd priùs habuerint Annum, quàm is in Gracia ad Lunæ curſum conſtitueretur.* Igitur Arcades Ver, & Æſtatem, & Autumnum, & Hyemem, ἔτος appellabant. Singulas, inquam, has Tempeſtates, Ἔτος ſive *Anni* nomine deſignabant. Horum verò quatuor ἐτῶν ſive annorum circuitum Ἐνιαυτὸν dicebant, id eſt, *Annum Vertentem*, ſive *Annum magnum*, ut docet Cenſorinus. Hoc diſcrimen inter ἐνιαυτὸν & ἔτος, apud Horapollinem obſervare licet: ſiquidem ἐνιαυτὸς eſt annus integer, δωδεκάμηνος, qui Virgilio juxta antiquum loquendi morem *annus magnus* appellatur. Cujus Anni hieroglyphicon ponit Horapollo lib. 1. capite tertio. Idem autor quinto capite ejusdem Libri, de Anno trimeſtri, ſeu quadrante Anni integri agens, ἔτος τὸ ἐνιστάμενον vocat, hoc eſt, *inſtantem anni tempeſtatem.* Unde colligimus, ἔτος veteribus non ſemper *Annum duodecim menſium*, ſed aliquando τέταρτον μέρος ἐνιαυτοῦ, *quartam Anni vertentis partem* denotaſſe. De Anno vertente ſic ſcribit Cenſorinus: *Annus vertens eſt naturâ, dum Sol percurrens duodecim Signa eódem, unde profectus eſt, redit. Hoc tempus quot dierum eſſet, ad certum nondum aſtrologi reperire potuerunt: ſed pro vero, quod proximum putabant, amplexi ſunt, dies ſcilicet trecentos ſexaginta quinque.* Addit: *Omnibus gentibus fuiſſe propoſitum, ſuos civiles annos variè intercalandis menſibus ad unum verum illum naturalémque corrigere.* An verò priſcorum Hebræorum Annus dierum 365 fuerit, quod ſtatuit Joſephus Scaliger, aliis diſquirendum relinquo. Caietanum quidem reprehendit Pererius, quòd dixerit Annum tempore Noe talem fuiſſe, qualis erat apud veteres Ægyptios. Hebræi certè (ut notat ipſe Pererius) utebantur annis Lunaribus, quolibet ſcilicet anno trecentorum quinquaginta quatuor dierum, ſed eos tamen ad rationem motûs Solis revocabant & accommodabant,

modabant, ferè tertio quoque anno mensem unum intercalantes. Suidas: Οἱ Ἑβραῖοι τὸν ἐνιαυτὸν, κατὰ τὸν σεληνιακὸν δρόμον ἀριθμοῦσιν· ὥστε τὸν μῆνα ἡμερῶν εἴη παρ' αὐτοῖς κθ'. ὡς τοῦ μὲν ἡλιακοῦ κύκλου ὑπάρχοντος τξε, τοῦ δὲ σεληνιακοῦ τνδ', τὸν ἡλιακὸν παραλλάσσειν ἐνιαυτὸν ἡμέρας ιά τοῦ σεληνιακοῦ ἐνιαυτοῦ. hoc est: *Hebræi Annum juxta Lunarem cursum numerant, ità ut Mensis apud eos sit dierum 29. itaque, cùm Solaris circulus perficiatur diebus 365, Lunaris autem diebus 354, Annus Solaris Lunarem undecim diebus superat.* Lilius Gyraldus, libro De Annis & mensibus: *Scribit* (inquit) *Josephus, & pluribus disputat Aurelius Augustinus, apud Hebræos semper Annum fuisse 12 mensium. Iidem etiamnum Annum duodecim mensibus lunaribus metiuntur: verùm tertio quoque anno tredecim mensium Annum constituunt, atque ità per embolismum intercalationêmve adæquant tempora. Cùm intercalaris annus est, Februarium bis enumerant, priorem quidem* Adar *appellantes, secundum verò* Ve Adar. Paulò pòst, addit: *Non me præterit apud antiquos Hebræorum patres aliam fuisse embolismi rationem, ab hac longè diversam.* Quæ autem illa intercalandi ratio fuerit, non docet. Apud illos antiquos certè ea Embolismi ratio fuit observata, quæ Lunarem ipsorum Annum ad Solaris motûs rationem accommodaret, cùm non ignorarent, quot diebus perficeretur Solis circuitus. Igitur, si verum est, quod Mathematici statuunt, Solem diebus 365 & sex ferme horis Zodiacum percurrere, Annus antiquorum Hebræorum, etsi Lunares menses observarent, hoc ferè Dierum numero constare potuit, adeóq; cum Anno Ægyptiaco congruere. An verò Ægyptii, præter trecentos sexaginta quinque dies, quadrantem diei insuper Anno Solari suo olim adjecerint, admodum dubitatur. Herodotus enim (ut videre est in ejus verbis, quæ modò citavimus) in Anno Ægyptiaco Dies quidem quinos mensibus duodenis adjectos fuisse scribit, quadrantis autem non meminit. Diodorus verò & Strabo, apud quos illius τεταρτημορίου fit mentio, post Julii Cæsaris tempora vixerunt, qui annum ex Sosigenis sententia correxit. Hic enim, ut Annum civilem ad Solis cursum formaret, pro quadrante diei, qui Annum verum suppleturus videbatur, instituit, ut peracto quadriennii circuitu dies unus intercalaretur. Qua de re legi possunt Dion & Suetonius in Vita Julii Cæsaris; item Censorinus De Die Natali cap. 20. & Plinius Nat. Hist. lib. 18. cap. 25. Quanquam verò Ægyptii antea quadrantis illius nullam habuerint rationem, tamen quia Sosigenes,

à quo

à quo illa Juliani Anni disposicio facta est, mathematicus erat Alexandrinus, idcirco Cæsar in anno corrigendo Ægyptiorum exemplum secutus nonnullis dicebatur. Sic enim legimus apud Macrobium Saturnal. lib. 1. cap. 14. *Imitatus* [C. Julius Cæsar] *Ægyptios solos divinarum rerum omnium conscios, ad numerum Solis, qui diebus singulis tricenis sexaginta quinque & quadrante cursum conficit, Annum dirigere contendit.*

Tractatum de variis Annorum formis edidit Thomas Lydiatus, homo doctus, & harum rerum peritus : cujus sententiam tum de Anno prisco Israelitico, tum de Ægyptiorum anno valde probabilem, cur damnarit Josephus Scaliger, non video. Sic enim ille: *Sicut Annus priscorum Israelitarum semper incepit circa vernum æquinoctium : ità fuisse ipsum omnino mensium civilium duodecim, videtur constare ex* 1. *Reg.* 4. *&* 1. *Chron.* 27. *ubi memorantur Reges Israelitici David ac Salomon constituisse* 12 *duces legionum ordinariarũ & sitarchos regiæ familiæ, singulos in singulos menses Anni. Nec verò usquam in Sacris literis occurrit mentio plurium quàm duodecim mensium anni. Porrò menses singulos ad septimum usque à secundo (quum de primo non dubitetur) fuisse tricenûm dierum, ex Diluvii historia constat, quatenus à* 17 *die mensis secundi usque ad* 17 *diem mensis septimi numerantur completi* 150 *dies. Verùm nihilominus habitam fuisse rationem Lunæ in Annis & mensibus priscorum Israelitarum, argumento fuerit ipsa vox, qua illi synecdochicè quidem* Mensem, *propriè verò* initium Mensis, *significarunt, quam Græci ubique transtulerunt ad verbum* νουμηνία, *id est*, novam lunam : *quæ dictio primò & propriè de mensibus lunaribus, utpote antiquissimo & naturali genere mensium, accipienda est.* Deinde addit : *Procul omni dubio priscus Annus Israeliticus erat partim ad Solis partim ad Lunæ cursum conformatus, partim verò civili quâdam ratione nonnihil diversus ab utroque, at tamen ità ut simul respiceret utrumque : Ac ad Solis quidem motum comparatus, quatenus incipiebat semper circa vernum æquinoctium : ad lunares verò rationes accommodatus, tum dierum numero, tum etiam initio ac fine : ità scilicet ut plerunque esset circiter* 355 *dierum, aliàs autem circiter* 383; *atque omnino inciperet item circa novilunium. Cæterùm quoad mensuras mensium singulorum, videtur civili usui conformatus : siquidem menses illius omnes, excepto duntaxat uno, apparet habuisse triceños dies.* Tandem sic concludit : *Cùm undecim menses Anni Israelitarum videantur semper*

æquales

æquales ac tricenarii fuisse, apparet unum quo fieret æquatio rationum Lunæ & Solis, fuisse inæqualem: qui scilicet, cùm ei juxta rationes Solis deberentur quotannis appendices dies quinque supra triginta, sæpius quidem non solùm illis quinque sed etiam aliis totidem diminueretur; aliàs verò ultra triginta dies nanciscereturdamno resarciendo dies appendices (ὑπερβαινίσας ἡμέρας vel ὑπερβαλλούσας appellarunt Græci) viginti tres, aut viginti duas; duobus nimirum mensibus lunaribus in unum & eundem mensem civilem quàdam quasi impage aut insitione coalescentibus. Talem mensem unum, tanto scilicet modò contractiorem modò productiorem cæteris necesse est fuisse in ejusmodi Anno, qui & circiter æquinoctium atque novilunium semper inciperet, & duodecim mensibus omnino constaret, quorum undecim æquales ac tricenarii fuerint. Hæc ille.

Verisimile videtur, Adamo primùm à Deo inditam fuisse eximiam scientiam omnium rerum naturalium, tum terrestrium, tum etiam cœlestium; in his verò præcipuè duorum luminarium Solis & Lunæ, eorúmq; usus, ac rationis: quod quidem Moses haud obscurè innuit. Caietanus arbitratur, Adamum habuisse scientiam omnium rerum corporalium sublunarium, non autem corporum cœlestium. Quam opinionem refellit Pererius. Sanè perfecta rerum sublunarium Scientia constare non potest sine corporum cœlestium notitia. Igitur verior est sententia, Protoplastum illum, simul ac conditus esset, non minùs Solis ac Lunæ quàm plantarum & animalium usum percepisse. Si verò perfectè sciret quorsum illa luminaria à Deo essent condita, & quibus usibus destinarentur; hinc apparet, probabilem esse illorum opinionem, qui affirmant, Naturalis Anni & singularum ejus tempestatum rationem, perinde ac cæteræ Naturæ universæ cognitionem, Adamo infusam, ac deinde ab ipso cæterisq; longævis illis Patriarchis conservatam, atq; à toto genere humano observatam fuisse, saltem usque ad sermonis confusionem. Illa confusio sermonis, scientiæ quoque confusionem hominibus invarias terrarum partes dispersis attulisse putatur. Veruntamen antiquam Anni formam in plerisque gentibus aliquandiu postea, maximè autem in familia Eberi usque ad descensum Israelis in Ægyptum, retentam fuisse, par est ut existimemus. Cùm verò ibi ex consuetudine cum Ægyptiis, qui antiquam Anni formam occasione inundationis Nili videntur aliquantum immutasse, exolesceret; à Mose Dei jussu tempore Exodi restituta, aut confirmata est: neque

dubitan-

dubitandum, quin in ea republica Iſraelitarum deinceps conſervata fuerit uſque ad poſtremos Prophetas Veteris Teſtamenti.

CAP. VI.

De primi Anni initio.

REſtat, ut Quæſtionem, quæ eſt de Mundi natalibus, expediam. Mundi, adeóque Anni primi initium, circa vernum æquinoctium fuiſſe, non dubito. Unde Aſtronomi omnes cœleſtium motuum initia à primo Arietis puncto ſumpſerunt. Neque temere cecinit doctiſſimus poetarum Virgilius:

Non alios primâ naſcentis origine mundi
Illuxiſſe dies, aliúmve habuiſſe tenorem
Crediderim: ver illud erat, ver magnus agebat
Orbis, & hybernis parcebant flatibus Euri.

Hæc opinio firmata eſt omnium Scriptorum Eccleſiaſticorum conſenſu, atque veterum Theologorum calculo comprobata. Qua de re legendus Pererius, ſub initium Commentariorum in Geneſin. Omnes profectò Veteres (ut rectè obſervavit Joſephus Scaliger) magnum honorem habuerunt diei 25 Martii; qui mundum in ea conditum, Chriſtum conceptum, & paſſum memorant: ab eóque πρωτόκτιστον ἡμέραν eam vocant, quòd fuerit princeps hebdomadis in conditu rerum. Ipſe autem Scaliger, qui primâ magnî ſui Operis editione cenſebat Solem creatum in primo Arietis puncto, poſtea dixit Lucem in primo Libræ puncto creatam. Itaque tranſtulit Creationem Mundi atq; initium Anni priſci Iſraelitici à verna tempeſtate in Autumnum, ſive à primo menſe Moſaico in ſeptimum.

Neque ſolius Scaligeri hæc ſententia eſt. Namq; Autumni tempore conditum fuiſſe Mundum cenſent etiam Nicolaus de Lyra, & Alphonſus Tonſtatus; imò & Hebræi ſcriptores nonnulli. Flavius Joſephus Antiquitatum libro primo, ait, Diluvium incepiſſe menſe ſecundo Anni, hoc eſt, medio Autumno: innuítque, Hebræos antè quàm Ægypto excederent, annum ab Autumno inchoare conſueviſſe. *Contigit*, inquit, *vaſtitas Diluvii anno ætatis Noe ſexcenteſimo, menſe ſecundo, qui* Dius *à Macedonibus vocatur, ab Hebræis* Marſuane. *Sic enim Ægyptii diſtinxerunt Annum. Moſes autem Niſan, qui eſt Xanthicus, menſem primum in ſuis Faſtis ordinavit, quòd per hunc He-*

braos ex Ægypto eduxisset: eundem etiam omnium, quæ ad rem divinam pertinerent, exordium fecit: alioqui quod ad nundinationes rerum venalium, reliquámque dispensationem Anni attinet, nihil de pristino ritu innovavit. Hæc Josephus. Hinc Drusius Observationum libro primo, cap. 13. *Duplicis* (inquit) *Anni mentio apud Hebræos; Politici, Ecclesiastici. Politici mensis primus Thesri; Ecclesiastici, Nisan. Illum Ægyptii, hunc Moses instituit.*

Ad hanc opinionem adstruendam afferuntur quædam Scripturæ loca. Primò, adducitur locus ex duodecimo capite Exodi, ubi Deus Mosem sic alloquitur: *Mensis iste vobis principium mensium: primus* [erit] *in mensibus Anni. Per hoc datur intelligi*, inquit Lyranus, *quòd antè primus non fuerit.* Johannes Calvinus, ad hunc Exodi locum, *Hebræi*, inquit, *ad illud usque tempus Annum inchoaverant à mense Septembri, qui vocatur Chaldaicè* Tisri, *quo existimant multi creatum fuisse Mundum: quia statim ab ipsa creatione Terra maturas fruges produxit.*

Responsio. Illud verbum futuri temporis non est in textu Hebraico: subauditur autem, non *Erit*, sed *Est*: quod Interpres Græcus exprimit: ὁ μὴν ὗτος ὑμῖν ἀρχὴ μηνῶν, πρῶτος ὑμῖν ἐστιν (non ἔσται) ἐν τοῖς μησὶ τοῦ ἐνιαυτοῦ. Neque enim necesse est, ut verba illa intelligantur de instituendo, sed tantùm de stabiliendo sive confirmando primo Anni mense; siquidem prolata sunt in eum finem, ut Israelitę firmâ memoriâ retinerent, & diligenter observarent tempus exodi suæ ex Ægypto, gratiâ celebrandi Paschatis & Festi azymorum. Ait ergò, *Mensis iste vobis caput sive principium mensium, primus ipse vobis mensium Anni.* Ibi locum verbi substantivi *Est*, supplet pronomen *Ipse*, ex proprietate sermonis Hebræi. Deus autem ideo retulit initium Reipublicæ Israeliticæ ad primum mensem vernum, quia is erat Anni simpliciter ac naturâ primus.

Formam Anni, quâ Israelitæ usi sunt à Mosis temporibus usq; ad postremos ipsorum Prophetas, fuisse omnium antiquissimam & optimam, suprà jam ostendimus. Illa proculdubio antiqua Anni forma in familia saltem Heberi usque ad descensum Israelis in Ægyptum retenta fuit. Cùm verò ibi post mortem 12 Patriarcharum ex consuetudine Israelitarum cum Ægyptiis exolesceret, tempore exodi restituta aut confirmata est, ac deinceps inter Judæos conservata. Initium ergò Mundi statuimus circa vernum Æquinoctium,

um, quoniam eâdem tempestate mensem primum Israelitarum atque initium Anni ipsorum ex ore ipsius Dei statuit Moses, revocans forsan populum à consuetudine Ægyptiorum, qui Anni sui initium feciſſent vel secundo mense æstivo, quo Nilus terram ipsorum inundare cœperit, utì tradit Solinus; vel (sicut innuunt Josephus loco citato, & Firmicus libro 8. cap. 3.) circiter Autumni æquinoctium, quo idem Nilus in amnem suum resideret, & ipsi ad agrorum fœcundatorum culturam se converterent.

Alter Scripturæ locus affertur ex Exodi cap. 23. 16. ubi jubentur Israelitæ observare Festum collectionis in exitu Anni, cùm collegiſſent fructus suos; hoc est, Festum tabernaculorum, mense septimo. Idem Festum collectionis revolutione Anni, rursus præcipitur cap. 34. 22. Hinc probant, in Autumno fuiſſe Anni exitum, ac reditum: quare, eo potiſſimùm tempore initium Mundi statuendum. Respondetur: Ubivis gentium necessariò duplicem esse annum; Civilem, & Rusticum. Quicunque tandem sit Civilis annus, semper Rusticus sive georgicus agricolarum annus incipit à satione, desinit in messe. Igitur apud Israelitas agricolæ suum annum finiebant post collectionem fructuum ac segetum: eóque nomine Moses jussit, Deo gratias agi Tabernaculorum festo: circa quod Festum desinebant anni Sabbatici, & Jubilei: ideóque die decimo mensis Etan sive Tisri denunciabantur Sabbatismi, & Jubilei. Hæc vera causa est, cur in rebus ad agriculturam pertinentibus Mensis Tisri dicatur primus & ultimus Anni mensis. Sed hâc ratione non obstante, simplex & unicum erat priscis Israelitis Anni initium, juxta divinum oraculum, ídque naturale, circa vernum æquinoctium; & unica tantùm Anni Civilis ratio, sicut suprà diximus. Annus verò Sabbaticus optimâ ratione distributus fuit. Nam sabbatismus terræ propriè convenit anno septimo, ídque à septimo mense, prout Deus numerum septenarium quieti consecravit. Quamvis autem annus Sabbaticus ex duobus annis Civilibus quodammodo sit compositus, tamen totus appellatur *Annus septimus*, quia denominatio sequitur priorem & potiorem ejus anni partem, quâ nimirum fieret intermissio laborum agriculturæ, manumissio servorum, & remissio debitorum. Solemus etiam annum alicujus Regni vel Magistratûs, item emptæ aut collocatæ possessionis, primum, secundum, tertium, &c. appellare, quamvis ex duobus civilibus annis compositum.

Objectio Scaligeri. Primus menſis in hiſtoria Diluvii à Moſe deſcripta incipit ab Autumno: Nam Joſephus ait, Moſem ibi ſecutum rationes Ægyptiorum, putaſſe menſem primum ab æquinoctio autumnali. Huc pertinet, quod Lactantius dicit, apud Ægyptios primum Anni menſem, id eſt, Septembrem, nomen accepiſſe à Mercurio, quem Ægyptii *Thoth* appellant. Sed & B. Hieronymus in Ezechielis cap. 1. ſcribit, apud Orientales populos primum Anni menſem fuiſſe Octobrem. Intelligit menſem Tiſri, qui licèt incipiat in Septembri, tamen excurrit in Octobrem.

Reſponſio. Ad B. Hieronymi locum quod attinet, dicendum, intelligi de anno georgico. Verba ejus hæc ſunt: *Apud Orientales populos poſt collectionem frugum, & torcularia, quando decimæ deferebantur in templum, October erat primus menſis, & Januarius quartus.* Quod è Cicerone refert Lactantius de menſe Thoth, nihili eſt. Ipſius Ciceronis verba ſunt, libro tertio De natura Deorum: *Hunc* [Mercurium] *Ægyptii* Thoyth *appellant: eodémque nomine Anni primus menſis apud eos vocatur.* Hunc verò menſem noſtro Septembri reſpondere Lactantius quidem affirmat; Tullius autem non dicit. Thoth non ſemper Septembri reſpondiſſe certum eſt; ſiquidem conſtat inter omnes Aſtronomos, primo Nabonaſſari anno Thoth cœpiſſe Februarii 26. Atque hinc non Thoth ſed Meſori primum fuiſſe Primi Anni menſem, demonſtrat Jacobus Cappellus. Quod autem Joſephus ſcripſit, Diluvium juxta Moyſis deſcriptionem incepiſſe menſe Marſuane, cui reſpondet ſecundus menſis Anni Ægyptiaci, id merâ conjecturâ ipſius, non ullâ ratione nititur. Menſes in hiſtoria Diluvii memoratos, non ab Anni exordio ſed ab exordio ſexcenteſimi anni vitæ Noe computandos, nonnulli exiſtimant. Sed multo probabilior eſt ſententia Veterum, quam etiam doctiſſimus Mercerus amplexus eſt: *Ego* (inquit) *re diligentiùs expenſâ puto ſecundum à Martio menſem hîc accipiendum.* Et paulò póſt: *Cùm ſimpliciter dicatur* menſe ſecundo, *& ſic paſſim in Scriptura videamus inveniri, omnino Aprilem intelligo, ſumpto initio à Niſan.*

Alia ejusdem Scaligeri Objectio. Tekupha anni dierum Judaica hodierna eſt in Autumno; & Lectionarium Judæorum hodie incipit ab Autumno: ergò probabile eſt, Anni priſcorum Hebræorum initium naturale fuiſſe ab Autumno. *Reſponſio.* Quod ad Tekupham attinet (quæ vox uſurpatur Exod. 34. 22. & revolutionem ſignificat)

cat) Judæi recentiores transtulerunt eam à nativa ipsius significatione ad denotandum ingressum Solis in quatuor signa Zodiaci cardinalia. Est enim Tekupha Nisan, cùm Sol ingreditur principium Arietis: Tekupha Tamuz est in principio Cancri: Tekupha Tisri, in principio Librę; & Tekupha Tebeth, in principio Capricorni. Quòd verò Tekupham Tisri in Anno suo civili primam statuerint, omnino videntur fecisse demum sub Romano Imperio, exemplo plerorumque populorum Orientis facientium Anni Romani Indictionúmque Imperatoriarum initium circa Autumni æquinoctium. Annuum quoque Lectionarium Legis Mosaicæ circa Tekupham Tisri quotannis redintegrari solitum, non est vetustissimâ consuetudine sed tantùm à Thalmudistis aut Masoritis receptum. Namque ante horum seculum Pentateuchum Mosis in Capita distinctum fuisse, negat Elias grammaticus. Videtur nihilominus ea consuetudo orta esse ex eo, quòd Deuteronomii cap. 31. præceperit Moses, ut perlegeretur Lex septimo quoque anno, mense septimo, festo Tabernaculorum: hâc, inquam, occasione concurrente cum initio Romani Anni atque Indictionum usurpato in regionibus Orientalibus, recentiores Judæi initium annui Lectionarii eo mense fecisse videntur.

Argumentum quorundam Rabbinorum. Rabbi Eliezer & ejus sequaces contendunt, Mundum mense Tisri conditum fuisse, idq; eo argumento, quia verisimile est, Deum omnia in sua perfectione creasse. Sicut igitur Hominem jam adultum non puerum creavit, sic & Arbores videtur primùm in sua maturitate creasse cum fructibus pendentibus: Id quod non invenitur Martio mense vel Aprili, sed initio Autumni. Confirmatur ex Geneseos cap. 3. 6.

Responsio. In nonnullis regionibus Orientis etiam Martio mense aut Aprili fruges & multarum arborum fructus maturi inveniuntur. Quamvis autem in eo tractu Terræ, ubi futura erat prima Hominis habitatio, productæ fuerint arbores cum fructibus maturis, quia tempus ibi erat idoneum & conveniens maturitati fructuum, non tamen sequitur, in omnibus terrarum locis esse factas arbores maturis onustas fructibus; quia illud Anni tempus respectu habito ad quasdam Terræ partes fuit media hyems. Deus autem sic produxit res, ut ipsæ deinceps per causas naturales, & seipsas conservare, & alias sui similes suo tempore modóque generare possent. Existiman-

dum igitur est, Deum tertio creationis die fecisse Arbores ubique terrarum perfectas secundùm substantiam & magnitudinem, quæ naturalis est terminus accretionis ; & item secundùm suas facultates : ubi verò tunc erat tempus conveniens fructibus, ibi fecisse eas cum fructibus ; alibi cum frondibus tantùm vel floribus ; nonnullis locis, ubi tunc hyems erat, nudas fructibus floribus & frondibus. Nimirum productæ sunt à Deo tunc Arbores, prout cujusque Regionis tempus exigebat. Hæc Pererius. Sole autem Arietem vel Libram ingresso, mediam hyemem alicubi terrarum fuisse, non existimo. Nam illud idem momentum Anni, quod versùs polum septentrionalem est æquinoctium vernum ; versùs australem polum est autumnale æquinoctium ; at sub Circulo æquinoctiali, ubi duplex anno æstas, alterius harum est medium. Igitur æstatis medium Æquinoctialibus, & æquinoctium autumnale Australibus naturale Anni initium censendum est æquè ac Septentrionalibus vernum æquinoctium. Rationes, sive argumenta adtexit Cappellus, quibus se adduci ait, ut cum omni propemodum antiquitate credat Solem æquinoctio verno creatum fuisse : *Primò enim, in hoc Septentrionali hemisphario habemus perpetuam veluti messem florum, herbarum, frugum, fructuum, ab Ariete usque ad Libram. Deinde, toto illo semestri spatio dies noctibus longiores sunt, atque ità regnum obtinet lucis splendor, cœli serenitas, soli amœnitas, rerum omnium generatio. Sequente autem semestri intervallo dominatur noctis atror, cœli squalor, soli illuvies, rerum omnium interitus.* Addit : *Circa Edenem, ubi creatus est Homo, simul ac Sol Arietem attigit, segetes flavescere, ac proinde multi fructus matureſcere incipiunt : Et habuit omnino annus ille aliquid extraordinarium.*

Ad primum Mensem ac Diem quod attinet, Beda tradit, Quarto creationis die, qui fuit Mercurii & duodecimus Calendas Aprilis (hoc est, 21 Martii) Solem exortu suo quartam Arietis partem ingressum, primum Æquinoctium vernum confecrasse : Lunam verò creatam esse in plenilunio ; quòd sit admodum credibile, factam esse in statu perfecto, ut Nocti præesset, hoc est, ut noctem plenè perfectéque illuminaret. Ex adverso contendunt alii, Lunæ primò exorientis lumen fuisse imperfectum, tale nimirum quale habere solet in novilunio. Nam cùm Luna menses cursu suo definiat, congruum fuit à prima luna primi mensis initium fieri : si autem creata esset

esset in plenilunio, non primus, sed 15 primi mensis dies ille fuisset. Jacobus Cappellus (quem in Annorum supputatione [illegible] sequendum mihi proposui) primum Æquinoctium vernum non in 21 diem Martii, sed in 21 Aprilis incidisse affirmat. Is ab Adamo ad Christum annos quater mille numerat: ostenditque, quater millesimo ante Christi æram anno Solem Aprilis vigesimo primo feriâ quartâ fuisse in Arietis primo, circa meridianum Babylonis. *Qui computi doctrinam intelligunt*, inquit, *ii sciunt Æram Christi initium ducere à cyclo Solis decimo, Januarii primo, Capricorni nono, Tybi Ægyptiaci undecimo. Ante eam diem usque ad Solis creationem retro numeramus annos Julianos* 3998, *dies* 255, *annos Solares sive Tropicos itidem* 3998, *dies* 283, *annorum Ægyptiacorum sive Patriarchalium quatuor millia, & dies centum sexaginta. Quippe Annus Ægyptiacus est dierum* 365. *Julianus addit horas sex. Tropicus addit tantum horas quinque, minuta* 49. 16. *Igitur si medium Solis motum ex Alphonsinorum sententia definias, comperies quater millesimo ante Christi æram anno Solem Aprilis* 21 *feriâ quartâ fuisse in Arietis primo.* Mox addit: *Meridianum, sub quo creatus est Homo, præcisè definiri non posse: videri tamen creatum non procul à meridiano Babylonis. Jam, si juxta Prutenicas Tabulas ab æra Christi retro numerentur Anni Juliani* 3998, *dies* 255, *comperies* (inquit) *Solis ortum vel præcisè incidere in primum Arietis punctum, aut ab eo vix minutis quatuor distare in meridiano Babylonis.* Denique, diem Aprilis vicesimum primum, quo Sol creatus est, incidisse in primum diem Mesori Ægyptiaci, sic colligit: *Inter omnes* (inquit) *Astronomos constat, annis Ægyptiacis ante Christi æram* 747, *diebus* 130, *primo Nabonassari anno, mensem Thoth cœpisse Februarii* 26. *Si ità est, igitur annis Ægyptiacis* 3255 *ante Nabonassarum* (anno scilicet quater millesimo ante Christum) *mensis Thoth cœpit Maii* 21, *& Mesori antecedens cœpit Aprilis* 21. Hinc probat, mensem Mesori olim apud Ægyptios annum aperuisse.

Annum Mundi primum ab æquinoctio & novilunio pariter incepisse putat Autor libri de Variis annorum formis: illud autem novilunium in diem 28 Maii mensis Cæsarei incidisse. Idem ab initio Mundi ad Christi æram annos 4003 numerandos censuit. Josephus Scaliger à novilunio contingente sive circa vernum sive circa autumnale æquinoctium, primi Anni initium petendum esse agnoscit; etsi is annos circiter quinquaginta (ut queritur ipse Cappellus)

Mundo

Mundo detrahat. Idem Scaliger libro tertio De Emendatione Temporum, Annum æquabilem dierum 365 (quem Ægyptiacum diximus) ab Hebræis, Chaldæis, Ægyptiis, Persis, Armenis, denique toto ferè Oriente olim usurpatum fuisse statuit. Unde Cappellus Menses primo Anno convenientes, hoc modo disposuit.

MENSES

Adami:	Ægyptiorum:	Romanorum:	Cœlestes:	Dierum numerus.
I	*Mesori*	*Aprilis* 21.	*Arietis* 1.	30
II	*Thoth*	*Maii* 21.	*Arietis* ult.	60
III	*Paophi*	*Junii* 20.	*Tauri* 30.	90
IV	*Athyr*	*Julii* 20.	*Gemin.* 29.	120
V	*Chœac*	*Augusti* 19.	*Cancri* 28.	150
VI	*Tybi*	*Septembris* 18.	*Leonis* 26.	180
VII	*Mechir*	*Octobris* 18.	*Virginis* 25.	210
VIII	*Phamenoth*	*Novembris* 17.	*Libræ* 24.	240
IX	*Pharmuthi*	*Decembris* 17.	*Scorpii* 24.	270
X	*Pachon*	*Januarii* 16.	*Sagittarii* 24.	300
XI	*Payni*	*Februarii* 15.	*Capricorni* 25.	330
XII	*Epiphi*	*Martii* 17.	*Aquarii* 25.	360
	Quinque dies adjectitii, sive αἱ ἐπαγόμεναι ἡμέραι	*Aprilis* 16.	*Piscium* 25.	365
		17.	.	
		18.	.	
		19.	.	
		20.	.	

Annus Mundi Primus, Secundus, Tertius, & Quartus, idem initium habuerunt: Annus quintus, sextus, septimus, & octavus inchoati sunt Aprilis 20, Piscium 30. Annus 9, 10, 11, 12, inceperunt Aprilis 19, Piscium 29, & sic deinceps, ut vult Cappellus. Anno autem Mundi 1460, menses ad primum ordinem redire putabantur: is est annus Mundi Ægyptiacus 1461.

Mensium nomina primis Mundi temporibus haud alia quàm ex ordine fuisse apparet. In Sacris certè Bibliis ante Captivitatem Babylonicam duodecim Anni menses non aliter ferè vocantur, quàm juxta numerum, Primus, Secundus, &c. Primus tamen mensis apud Israelitas Mosis tempore (ut videtur) cœptus est appellari *Abib*, id est, novarum frugum: Secundus mensis tempore Salomonis obtinuit

obtinuit nomen *Ziv* vel *Zif*; Septimus etiam illo tempore *Ethanim*, & octavus *Bul* dicebatur: sed hæc nomina creduntur fuisse Tyria. Postea in Babylonica captivitate nomina mensium Babylonica, vel (ut aliquibus placet) Assyriaca didicerunt Judæi, & indè in patriam reportarunt; nimirum hæc: 1 *Nisan*, 2 *Ajar*, sive *Jiar*, 3 *Sivan*, 4 *Tamuz*, 5 *Ab*, 6 *Elul*, 7 *Tisri*, 8 *Marcheſvan*, 9 *Caſleu*, 10 *Tebeth*, 11 *Schebat*, & 12 *Adar*. Ægyptiaca mensium nomina, quæ suprà posuimus, ex Græco opere astronomico Ptolemæi desumpta sunt. Ibi autem Mesori ultimum locum obtinet. Ad antiquitatem Anni Ægyptiaci quod attinet, eum quidem Josephus Scaliger, ut diximus, ab ultima antiquitate Ægyptiis usurpatum fuisse contendit. Scaligeri sententiam secutus Cappellus, annos mensium πεντακοσιημέρων duodecim & dierum quinque (qualis est Annus iste Ægyptiacus) Patriarchis in usu fuisse putat indè ab Orbe condito. Alii tamen Ægyptios à Babyloniis hanc Anni formam accepisse, idque tempore Nabuchodonosoris, arbitrantur: namque hujus Anni inventorem fuisse Nabonazarum Babylonium, qui anno 746 ante Christi æram regnum Babylone occupavit. Qua de re plura dicturi sumus ad Annum Mundi 3257.

Epocharum conſtitutio juxta Cappellum.

	numerantur Anni Juliani.	
A Mundi Creatione ad Noeticum Diluvium,		1651.*
A Diluvio ad natum Thare, Abrahami patrem,		222.
A nato Thare ad nativitatem ipſius Abrahami,		130.
A nativitate Abrahami ad Exodum ex Ægypto,		500.
Ab Exodo Iſraelitarum ad conditum Templum Salomonis,		480.
A condito Templo Salomonis ad ejus everſionem,		427.
Ab everſo Templo Jeroſolymitano ad ejus inſtaurationem,		70.
Ab inſtauratione Templi ad Æram Seleucidarum,		208.
Ab æra Seleucidarum ad Chriſti D.N. nativitatem,		312.

* *Monendus eſt Lector, in Annorum ſupputatione ab Adamo ad Noeticum Diluvium, nos, poſthabito Jacobi Cappelli calculo, certis de cauſis communem Eccleſiaſticorum Chronologorum ſequi ſententiam, qui illud univerſale diluvium Anno Mundi 1656 contigiſſe arbitrantur.*

Poteſt autem Chronicon univerſale, quod res geſtas à Creatione Mundi ad Chriſti Æram comprehendat, commodè in Sex Partes ſic diſtribui.

Hiſtoria Catholica Partes ſex:

1 Moſaica.
2 Heroica.
3 Baſilica.
4 Perſica.
5 Macedonica.
6 Ῥωμαϊκή.

PARS

PARS

Prima, à Creatione Mundi ad obitum Mosis,	annos complectitur	2547.
Secunda, ab excessu Mosis ad nativitatem Regis Davidis,		367.
Tertia, à nativitate Davidis ad Cyri Imperium,		551.
Quarta, ab initio Persici imperii ad mortem Alexandri M.		216.
Quinta, à morte Alexandri ad eversionem regni Macedonici,		156.
Sexta, ab eversione regni Macedonici ad Redemptoris nostri nativitatem,		168.

FINIS.

Imprimatur CANTABRIGIÆ,

G. Beal, *Procan.*
B. Lany.
Edoardus Martin.
Cheyney Row.